AUTHOR:

SOMMER, PAUL

TITLE:

DE P. VERGILII MARONIS CATALEPTON...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1910

Master Negative #

92-80664-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Sommer, Paul, 1885-

De P. Vergilii Maronis Catalepton carminibus quaestionum capita tria, dissertatio...quam... scripsit Paulus Sommer... Halis Saxonum, Typis Wischani, 1910.

118 p. 22 cm.

Thesis. Halle.

Vol. of theses.

267333

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8-7-92 INITIALS L.N.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 2.

[redacted]

DE
P. VERGILII MARONIS CATALEPTON CARMINIBUS
QUAESTIONUM CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS SOMMER
DESSAVIENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCX

DE HAC DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
GEORGIUS WISSOWA

Examen rigorosum habitum est die 24. mens. Jan. a. 1910.

PATRIS CARISSIMI DIS MANIBUS
SACRUM

Praefatio.

P. Vergilium Maronem praeter Bucolica, Georgica, Aeneidem, quibus poematis grandibus adeptus est immortalitatem, complura carmina minora fecisse tradunt grammatici, qui de huius poetae vita rettulerunt. In codicibus quoque compluribus eadem, quae illi enumerant, carmina atque multi alii versus Vergilii ut auctoris nomen prae se ferunt. Poetas enim nobiles, priusquam accederent ad magna opera componenda, ludere solitos carmina levia et mediocria opinabantur omnes veteres, id quod dilucide explicavit P. Papinius Statius in Silvarum libri primi praefatione hisce verbis [p. 55, 6 Vollm.]: *sed et Culicem legimus et Batrachomachiam etiam agnoscimus nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit.* Quae res cum sic se haberet, fieri non poterat, quin similiter atque, ut hoc unum exemplum adferam, Homerus, dum esset prima aetate, Batrachomachiam, Margiten alia scripsisse putabatur, Vergilio iuveni adtribuerentur nonnulla poemata tenuia huius temporibus facta, quae quisnam composuisset exciderat ex hominum memoria. Itaque si quaerimus, quae optimo iure adscribenda sint Vergilio, summae difficultates nobis sese offerunt, praesertim cum veterum testimonia, quae exstant de his carminibus iuvenalibus, nequaquam sint magna fide digna. Postquam primus Augustus Naeke[1]) continenti commentatione in hanc materiam inquisivit, Otto Ribbeck[2])

---

[1]) Carmina Valerii Catonis. Bonnae a. 1847 p. 221—251.
[2]) Appendix Vergiliana ed. Lips. a. 1868 p. 1—62.

atque Aemilius Baehrens[1]), ut alios omittam, in Vergilii carminibus minoribus inlustrandis atque iis, quibus continentur, codicibus explanandis et inter se comparandis laudabilem operam posuerunt. Qui viri docti quamvis diligentibus disputationibus quaerendi viam bene monstraverint, attamen disquisitionem de codicum ratione non ab omni parte absolverunt, immo absolvere nequierunt propterea, quod codices quidam summi pretii, qui erant incogniti usque ad illud tempus, postea demum investigati sunt. Iam ubi primum Franciscus Skutsch duobus libris ingeniosis, quorum alter editus Lips. a. 1901 inscribitur *Aus Vergils Frühzeit*, alter Lips. a. 1906 *Gallus und Vergil*, magnam atque gravem litem movit de poeta epyllii Ciris, quod ipsum legitur inter carmina minora, certatim viri docti hunc litterarum campum spinis scrupisque obsitum ingressi haud pauca contulerunt ad illa opuscula explananda. In quibus Fridericus Vollmer, quippe qui id ageret, ut Cirim a poeta Mantuano profectam esse ostenderet, denuo omnia quae tradita habemus de carminibus Vergilianis testimonia scriptorum veterum et codicum persecutus est commentatione, cui hunc titulum fecit *Die kleineren Gedichte Vergils*, inserta actis academiae Bavaricae a. 1907 p. 335—374.[2])

Sed unum ex illis quae Vergilio adtribuebantur opusculis, libellum dico Catalepton qui inscribitur, plus aequo adhuc neglectum esse videtur, cum viri docti de hoc non nisi in transcursu scripserint et plerumque de

[1]) annal. philol. vol. CXI (a. 1875) p. 137—151. Poet. lat. min. vol. II Lips. a. 1880 p. 3—45.

[2]) hac commentatione absoluta et Philosophorum ordini tradita in manus meas venerunt et editionis Poetarum latinorum minorum a Friderico Vollmer curatae volumen primum Lips. a. 1910 et Theodori Birt libellus elegans *Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, Erklärung des Catalepton* Lips. et Berol. a. 1910; e quibus libris nonnulla postea commentationi meae inserui, totam funditus instaurare nec volui nec potui.

singulis tantum illius carminibus opiniones protulerint. Itaque operae est pretium continua dissertatione inquirere in hos versus, qui cum sint compositi circa Caesaris dictatoris necem aut ineunte imperatoris Augusti aetate, summa delectatione nos adficiunt. Qua in re expedienda facere non possum, quin primum quidem denuo de tota quam vocare solent appendice Vergiliana, quantum e re esse videtur, disputem, praesertim cum nonnullas sententias a criticis promptas refellere necesse sit; deinde autem quaeramus, num omnia carmina, quae nos nunc legimus in libello Catalepton, poetae Mantuani ipsius sint; tertio denique dissertationis capite adcurate et singillatim me explicaturum esse spero, quemadmodum Vergilius in Catalepton carminibus componendis poetas aetate proxime antecedentes imitatus sit.

Caput I.

1.

Cum de Vergilii carminibus minoribus, quae dicunt, disserturi simus, nos ea ratiocinationis via uti necesse esse censeo, ut a codicibus iis[1]), quibus continentur multifaria opuscula illi poetae adscripta, proficiscamur atque testimoniis veterum scriptorum adlatis gradatim, ut ita dicam, retrogradiamur usque ad aetatem ipsam Vergilianam.

Ex illorum codicum permultorum, qui sunt scripti inde a saeculo nono, recensione adcurata id dilucide colligi potest, olim exstitisse exemplar quoddam, quod comprehendebat omnia, quae Suetonius[2]) in Vergilii vita adtribuit poetae adulescenti, carmina minora Bucolicis, Georgicis, Aeneidi ut prolusiones adnexa. Qui codex in duas partes divisus est, quarum utrique fuit fortuna valde diversa. In priore enim parte, quae nobis servata est permultis et veterrimis codicibus, legebantur Culex, Copa, Dirae, nonnunquam Aetna. Alterius autem partis, quae continebat epyllion Cirim et libellum Catalepton atque plerumque duas elegias ad Maecenatem, fons bonus et

[1]) de his codicibus fusius exposuerunt imprimis Otto Ribbeck, Appendix Vergiliana ed. Lips. a. 1868 p. 24 sqq. Aemilius Baehrens, Poet. lat. min. vol. II ed. Lips. a. 1880 p. 6 sqq. Robinso Ellis, Appendix Vergiliana ed. Oxonii a. 1907 p. VIII sqq. Fridericus Vollmer, P. Virgilii iuvenalis ludi libellus (= act. acad. Bavar. a. 1908 p. 1—82) et Poet. lat. min. vol. I ed. Lips. a. 1910 p. 3 sqq.

[2]) C. Suetonii Tranquilli reliq. ed. Augustus Reifferscheid Lips. a. 1860. p. 58.

sincerus est unus codex Bruxellensis miscellaneus 10615 ad 10729 saec. XII ineuntis, qui in ea parte, quae numeris 10675—6 notatur, fol. 71 sqq. exhibet Cirim inde a. v. 454 usque ad finem, tum septendecim carmina libelli Catalepton cum epigrammate finali *Vate Syracosio, qui dulcior Hesiodoque*, deinde priapeum iambis compositum, quod Tibullo adscribitur, *Quid hoc novi est? quid ira nuntiat deum?*, denique duas elegias in Maecenatis obitum. B

Versus epyllii Ciris, qui desunt in illo codice, supplentur solo libro Z deperdito, ex quo derivati sunt codices recentiores et corrupti multis mendis atque interpolationibus hi potissimum: Z

cod. Helmstadiensis 332, nunc Guelferbytanus, saec. XV. H
codices gemelli Arundelianus musei Britannici 133 saec. XV et Rhedigeranus bibl. urb. Vratislav. 125 saec. XV. A R
cod. Vaticanus 3255 Pomponii Laeti manu scriptus saec. XV. L
cod. Vaticanus Urbinas 353 scriptus intra annos 1474 et 1482. u

Praeterea cod. Monacensis lat. 18895 chartaceus scriptus a. 1452, qui plane gemellus est libri H, atque cod. Ambrosianus O 74 sup. chartaceus saec. XV non continent nisi libellum Catalepton cum epigrammate finali *Vate Syracosio*. M a

Omnes hos, quos breviter enumeravi, libros manuscriptos inter se maxime cognatos, sed diversae a codice Bruxellensi propaginis esse colligi potest praecipue ex una re. Post Catalepton enim c. XIII 16 praebent tamquam huius carminis versus disticha initio mutilata, quae omissa sunt in codice Bruxellensi, haec:

Callide mage sub h(a)ec c(a)eli est iniuria secli
    antiquis hospes non minor ingeniis
et quo Roma viro doctis certaret Athenis,
    ferrea sed nulli vincere fata datur.

His quattuor versibus, ut hoc nunc adnotem, mira perversitate Baehrensius[1]) coniecit supplendum esse Catalepton c. XI *Quis deus, Octavi, te nobis abstulit?* corruptum versum primum concinnans hunc in modum:

Palladi magna suae visa est iniuria sedis.[2])

At vero Franciscus Buecheler[3]) cum magna probabilitatis specie docuit hoc epitaphium alienum a ceteris libelli Catalepton carminibus posteriore tempore librarium in margine adscripsisse, unde ab altero scriba in illum locum mirabili socordia detrusum esset.

Prioris classis ultimam stirpem, ut ita dicam, praebent codices ii, quibus continetur *P. Virgilii iuvenalis ludi libellus* quem dicunt.[4]) Qui prae se ferunt non archetypi modo vitia ad unum omnia, sed deformati sunt etiam permultis aliis corruptelis, quas tempus posterius adspersit. Sunt codices hi potissimum sat vetusti:[5])

W = cod. Trevirensis bibl. urb. 1086 saec. IX/X.
B = cod. Bembinus, Vaticanus lat. 3252 saec. IX/X.
E = cod. Parisinus lat. 8093 fol. 60—68 saec. X.
Є = cod. Parisinus lat. 8093 fol. 69—76 saec. IX/X.
A = cod. Parisinus lat. 7927 saec. X.
T = cod. Parisinus lat. 8069 saec. XI.

Quibus quod continetur carminum corpus constat ex membris hisce:

---

[1]) Poet. lat. min. vol. II p. 39 sqq.

[2]) Birtius, *Jugendverse und Heimatpoesie Vergils* p. 178 sqq. hunc versum sic legendum esse opinatur:

Callida imago sub hac caeli est iniuria sede.

[3]) mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 524 sq.

[4]) de hoc fuse lateque disseruit Vollmerus commentatione doctissima, quae inserta est actis acad. Bavar. a. 1908 p. 1—82.

[5]) vide Vollmerum l. c. p. 6 sqq.

1. Vita Bernensis quam vocant[1]) praeposito titulo hoc: *De nobilitate ac die atque tempore nativitatis atque longitudine temporis vitae Publii Virgilii Maronis discipuli Epidii oratoris.*
2. Carmen quoddam de Vergilio adscriptum Ovidio Nasoni *Virgilius magno quantum concessit Homero* (Anthol. lat. ed. Riese c. 1, 1—10).
3. Culex, qui prae se fert titulum hunc: *Poetarum sapientissimi Publii Virgilii Maronis condiscipuli Octaviani Caesaris Augusti mundi imperatoris iuvenalis ludi libellus.*
4. Dirae, quibuscum sine ullo interstitio vel titulo coniunctum est id carmen, quod vocamus *Lydiam.*[2])
5. Copa.
6. Carmina Ausoniana *de est et non*, *de institutione viri boni*, *de rosis nascentibus* (Anthol. lat. ed. Riese c. 645. 644. 646).
7. Moretum.

In codicibus quibusdam haec quoque adiecta sunt:

8. *Octaviani Caesaris Augusti versus de laudanda ac adfirmanda arte Virgilii post mortem illius*: *Ergone supremis potuit vox improba verbis* (Anthol. lat. ed. Riese c. 672).
9. *Carmen tetrasticon Ovidii Nasonis*: *Qualis bucolicis, quantus tellure domanda* (Anthol. lat. ed. Riese c. 2,1—4).

Haec carminum minorum collectio, quam in plerisque codicibus aut appendicis aut exordii loco tribus Vergilii operibus maioribus additam esse patet, a Carolinae

---

[1]) haec edita est ab Hermanno Hagen, Scholia Bernensia ad Verg. buc. atque georg. (= annal. philol. suppl. IV [a. 1861—67]) p. 745 atque denuo a Vollmero l. c. p. 80 sq.

[2]) hos, qui adiecti sunt ad Diras ob puellam homonymam, versus primus separavit Fridericus Jacobs, Opusc. miscell. vol. V p. 641 sqq.

aetatis quodam viro docto recensita esse videtur in monasterio Fuldensi vel Hersfeldensi aut certe in aliquo, quod cum illis vicinia et arto consuetudinis vinculo coniunctum erat. Namque is, qui hanc editionem paravit idemque adiecit titulos verbosos atque vitam exilem, neque Aelii Donati neque Servii neque Probi de poeta commentationes adhibuit, sed fontes eius fuerunt Hieronymi Chronica atque praecipue illud Suetonii de grammaticis et rhetoribus fragmentum[1]), quod una cum Taciti opusculis codice solo Hersfeldensi, olim Fuldensi, servatum esse constat.[2])

Iam cum quaeramus, quonam tempore illud carminum Vergilianorum corpus constitutum esse probabile sit, primum quidem hoc constat per se, illa opuscula in unam syllogam collata esse post Ausonii, qui floruit quarto p. Chr. n. saeculo, aetatem et aliquanto post Ausonii obitum tempore, quoniam duo huius poetae carmina *de est et non* et *de institutione viri boni* atque tertium *de rosis nascentibus*, quod propter totum argumentum et sermonem eodem tempore ortum esse consentaneum est[3]), Vergilii ut auctoris nomen prae se ferunt.[4]) Deinde in iuvenalis ludi libello cum quattuor poematis, quae a Vergilio ipso composita aut certe aetati Vergilianae adtribuenda esse constat, Culicem dico et Diras, Copam et Moretum, coniuncti sunt decem versus *Virgilius magno*

[1]) p. 124 Reiff.: *M. Epidius calumnia notatus ludum dicendi aperuit docuitque inter ceteros M. Antonium et Augustum.*

[2]) hoc dilucide ostendit Vollmerus l. c. p. 20 sqq.

[3]) hoc carmen composuisse Ausonium ipsum haudquaquam comprobari potest; cf. quae exposuit Carolus Schenkl in Ausonii edit. Berol. a. 1883 (= Monum. Germ. hist. tom. V p. 2) prooem. p. XXXV sq.

[4]) carmina *de est et non* atque *de institutione viri boni* transierunt in ludi libellum non ex codice Leidensi Vossiano lat. 111 saec. IX, qui omnia Ausonii opuscula amplectitur, sed ex codice quodam familiae eius, qua continentur *Excerpta de opusculis Decimi Magni Ausonii.* Vide Carolum Schenkl l. c. p. XLIX et Rudolfum Peiper in Ausonii opusculorum edit. Lips. a. 1886 praef. p. LV sq.

quantum concessit Homero (Anthol. lat. ed. Riese c. 1, 1—10), quos quisquis scripsit Ovidii Nasonis personam induit atque huius pannos quosdam adripuit. Hoc carmen scholasticum, quod praefationis vice in permultis aliis codicibus antecedit decasticha Aeneidis argumenta, poetam nescio quem Africanum saeculo p. Chr. n. quinto vel sexto scripsisse probabile est.[1]) Brevi tempore ante illud edita esse videtur declamatio clarissima de Vergilio *Ergone supremis potuit vox improba verbis* (Anthol. lat. c. 672) Octaviano Augusto tributa, quae in codicibus BAEЄ subsequitur Moretum.[2]) Neque aliter res se habet in quattuor versibus *Qualis bucolicis, quantus tellure domanda* (Anthol. lat. c. 2, 1—4), qui sunt prooemium ad tetrasticha Bucolicon et Georgicon argumenta.

Veterum autem scriptorum poetarumque opera postquam saeculis p. Chr. n. quinto sexto septimo valde neglecta sunt, studiis litterarum renatis Carolo Magno regnante ex omnibus latebris, in quibus usque ad illud tempus abscondita erant, eruta cum industria colligebantur atque in schola Palatina et in monasteriis francicis iterum ac saepius describebantur. His temporibus, i. e. saeculo nono, postquam florilegium complexum *Excerpta de opusculis Decimi Magni Ausonii* discissum est, duobus huius poematis atque tertio eadem aetate facto cum quattuor Vergilii quae dicuntur carminibus minoribus et quibusdam aliis versibus coniunctis a quodam Carolinae aetatis viro docto constitutus esse videtur iuvenalis ludi libellus.[3])

[1]) hoc suspicatus est Lucianus Mueller in mus. Rhen. vol. XIX (a. 1864) p. 114 sq., cui adstipulatur Domenicus Comparetti in libro, qui titulum exhibet *Virgil im Mittelalter*, verso in sermonem Germanicum ab Johanne Dütschke. Lips. a. 1875 p. 139 adn. 8. Quibus viris doctis oblocutus Aemilius Baehrens, Poet. lat. min. vol. IV p. 44 illos versus adtribuit ludimagistro saeculi p. Chr. n. secundi.

[2]) vide Comparetti l. c. p. 137 sq.

[3]) perperam igitur iudicant Naekius, Carmina Valerii Catonis p. 223 atque Peiperus, *Q. Valerius Catullus, Beiträge zur Kritik seiner Gedichte*, Vratislav. a. 1875 p. 71. qui hoc carminum

Sed habemus alios quoque codices, in quibus carmina quaedam prioris collectionis coniuncta sunt cum alterius opusculis. Codices enim Monacenses lat. duo ex uno fonte
m n derivati 305 saec. XI/XII et 18059 saec. XI [1]) comprehendunt Aeneide praemissa eodem ordine haec: Moretum [2]), elegias in Maecenatem, Diras cum Lydia, priapeum Tibullianum *Quid hoc novi est? quid ira nuntiat deum?* titulo adposito *Priapeia Maronis*, Copam.

p Porro in codicibus Parisinis lat. 7647 saec. XII/XIII
n fol. 112ᵛ sq. et 17903 saec. XIII fol. 72ᵛ sq., ut alios omittam, traduntur excerpta ex Culice (versus 62), Aetna (versus 43), Ciri (unus versus), quae olim legebantur in magno illo florilegio composito in Gallia saeculo fere undecimo.[3])

C Praeterea exhibent codex Cantabrigiensis Kk. V. 34 n. 2076, olim ut videtur coenobii Hyde Abbey Winchester, membran. saec. X post medii aevi et Ausonii poemata quaedam fol. 20ʳ sqq. Aetnam coniunctam cum Culice atque
S fragmentum Stabulense saec. X/XI, quod nunc insertum est codici miscellaneo Parisino lat. 17177 membran. fol. 96 ad 103 idem carmen una cum opusculis iuvenalis ludi libelli.

His quos commemoravi codicibus adicere liceat duos, qui nuper in lucem protracti sunt. Primum quidem codex
Γ Romanus in bibliotheca Corsini 43 F 5 (olim 64) membran.

corpus iam ultimis antiquitatis temporibus recensitum esse suspicati sunt.

o [1]) codicem Monacensem lat. 21562 (o), quem Baehrensius his duobus addiderat tertium, apographon non sincerum esse codicis m adserit Vollmerus in act. acad. Bav. a. 1908 p. 48 adn. 1; cf. etiam Poet. lat. min. vol. I p. 14 adn. 1.

[2]) post Moretum in codice m (atque in eius apographo o) neque vero in codice n leguntur duo carmina illa *Ut belli sonuere tubae* (Anthol. lat. ed. Riese c. 392) et *Sus iuvenis serpens* (Anthol. lat. ed. Riese c. 160).

[3]) vide quae exsecutus est Vollmerus in act. acad. Bav. a. 1908 p. 17 sqq. et 35 atque in Poet. lat. min. edit. vol. I p. 4 sqq.

saec. XIV/XV inventus a Robinsone Ellis habet post carmina varia fol. 103ᵛ sqq. Culicem ex fonte optimo et vetusto receptum atque fol. 108ᵛ Aetnae versus 1—4 et
6.[1]) Tum codice Vaticano lat. 2759 membran. saec. XIII, V
quem Caietanus Curcio indagavit, praeter Bucolica et Georgica ad nos pervenerunt fol. 16ᵛ sqq. haec [2]): priapeum Tibullianum *Quid hoc novi est?* . . ., Culex, Aeneis, Copa, carmina Ausoniana *de est et non*, *de institutione viri boni*, *de rosis nascentibus*, Moretum, denique carmen *Virgilius magno quantum concessit Homero* (Anthol. lat. c. 1,1—10).

Sed cum iis, quos breviter perscripsi, codicibus illud Vergilianorum carminum minorum corpus, quod ex antiquitate transiisse in medium aevum supra adseruimus, non servatum sit nisi discissum in complures partes atque auctum versibus alienis, omnia illa opuscula coniuncta fuerunt in celeberrimo codice Murbacensi, de quo certiores facti sumus catalogo Murbacensi. Servavit enim nobis bona fortuna exemplar a Sigismundo Meisterlin a. 1464 confectum amplissimi catalogi, in quo enumerati erant omnes codices ii, qui nono saeculo medio, haud ita multo tempore post annum 840, in monasterii Murbacensis bibliotheca exstabant.[3]) Inter quos qui numeris 279—282 notantur codices comprehendebant haec opera Vergiliana [4]):

[1]) huius codicis collationem in lucem protulit R. Ellis in *Classical Review* vol. VI (a. 1892) p. 203 sqq. vide etiam, quae adnotaverunt Leo in Hermae vol. XXVII (a. 1892) p. 308 sqq. atque Vollmerus in act. acad. Bav. a. 1908 p. 27.

[2]) vide Caietanum Curcio, *Poeti latini minori* vol. II fasc. 1 ed. Catanae a. 1905 praef. p. XII sqq. et Vollmerum in act. acad. Bav. a. 1908 p. 28.

[3]) vide quae explicavit Hermannus Bloch in *Straßburger Festschrift zur XLVI. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner*, Argentorati a. 1901 p. 257 sqq.

[4]) vide Blochium l. c. p. 271 atque adde quae exsecutus est Vollmerus in act. acad. Bav. a. 1907 p. 339 sqq.

279 *Vergilius Bucolicon*
280 *Georgicon*
281 *Liber Eneydos*
282 *Eiusdem Dire*
Culicis
Ethne
Copa
Mecenas
Ciris
Catalepion (sic)
Priapeya
Moretum.

Sed pergamus. Corpus quoddam Vergilianorum carminum minorum temporibus antiquis exeuntibus, quarto dico p. Chr. n. saeculo, exstitisse luculento testimonio est illud epigramma in omnibus codicibus subscriptum libello Catalepton, quod totum adferre iuvabit:

Vate Syracosio qui dulcior Hesiodoque
maior, Homereo non minor ore fuit,
illius haec quoque sunt divini elementa poetae
et rudis in vario carmine Calliope.

Quod epigramma si adtente persequimur, facile intellegimus cum tribus Maronis poematis maioribus, Bucolicis, Georgicis, Aeneidi, priore disticho significatis composita esse ea carmina, quae poeta adulescens scripsisse putabatur. Iam si quaerimus, quaenam opuscula intellegenda esse voluerit epigrammatis auctor dicens (v. 4) *haec quoque*, Birtius (l. c. p. 6 sq. et 173 sqq.) cum Naekio (l. c. p. 223 sq.) et Luciano Mueller[1]) illos versus ad solum librum Catalepton pertinere censet.[2]) Birtius enim L. Va-

[1]) in Valerii Catulli edit., Lips. a. 1885 praef. p. XLIV sq.
[2]) similis est Friderici Leo opinio, qui in Culicis edit. (Berol. a. 1891) p. 18 hoc epigramma ne ad totum quidem libellum Catalepton, sed ad eius carmina sola I—XIV exclusis tribus priapeis (I*—III*) referendum esse docet.

rium vel Plotium Tuccam, qui arto familiaritatis vinculo coniuncti fuerant cum Vergilio, non multo post huius mortem levia carmina ab eo scripta in libellum congessisse atque illud epigramma finale adposuisse putat. Atque hoc ad carmina sola Catalepton referendum esse concludit praecipue ex ea re, quod illis temporibus opuscula appendicis Vergilianae quam dicunt singula in separatis chartis scripta fuerint, ita ut monobibla nominari possint.

At vero mihi quidem minime fit credibile id, quod Birtius contendit. Immo vero illa disticha non modo ad librum Catalepton, sed ad cetera etiam carmina minora pertinere, mihi persuasum est.[1]) Quod ut credamus, his potissimum rationibus commovemur. Primum quidem si Calliopam rudem esse v. 4 legimus, hoc iudicium multo melius cadit in ceteros libros, velut in Culicem, Cirim, Aetnam, quam in opusculum solum Catalepton, quod continet magna ex parte carmina brevia atque singulari arte facta. Et profecto Culicis sermonem rudem visum esse perinde atque hoc loco testatur Martialis VIII 56, 19 sq.:

Protinus Italiam concepit et Arma virumque,
qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.

Tum epyllion Culex, quippe quod plerumque in totius corporis principio legeretur, opponi solitum est tribus Vergilii carminibus maioribus, velut a Papinio Statio in Silvarum libri primi praefatione (p. 55, 6 Vollm.)[2]) et a Martiale XIV 185:

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis,
ne nucibus positis Arma virumque legas.

[1]) in hanc opinionem abierunt inprimis Ribbeckius l. c. p. 1 sq. et Baehrensius, Poet. lat. min. vol. II p. 38. cum Vollmerus in act. acad. Bav. a. 1907 p. 345 adn. 2 incertus haereat, utrum illi versus ad totum corpus an ad solum libellum Catalepton referendi sint.
[2]) hoc testimonium supra p. 1 adtuli.

Huc accedit, quod liber Catalepton ipse conclusus est suo carmine finali, dico c. XIV *Si mihi susceptum fuerit decurrere munus*, quod post Vergilii mortem compositum esse infra videbimus. Denique illud epigramma et ob totum argumentum et ob elocutionem exeunte demum antiquitate factum esse satis constat. Quarto enim saeculo Vergilius omnium poetarum veterum utebatur summa auctoritate eiusque opera magna cum admiratione lectitabantur. Cui rei luculento testimonio sunt permulta themata, quae certamine facto in scholis tractabantur, argumenta in poemata maiora a diversis poetis composita, varia de illis maximeque de Aeneide iudicia, aliae nugae rhetoricae. Quae carmina pleraque pervenerunt ad nos anthologiae Latinae quam dicunt codicibus.[1]) Inter haec autem reperiuntur quaedam illi epigrammati finali non dissimilia.[2]) Atque primum quidem adscribere iuvabit carmen compositum ab Alcimo quodam, qui secundum Wernsdorfii[3]) coniecturam probabilem fuit unus idemque atque ille Latinus Alcimus Alethius, a quo rhethoricam didicisse et Iulianum et Sallustium cos. a. 322 p. Chr. n. Ausonius[4]) tradit cuiusque mentionem facit Hieronymus in Chronicis scribens ad a. Abr. 2371, i. e. a. 355 p. Chr. n. (II p. 195 Sch.): *Alcimus et Delfidius rhetores in Aquitanica florentissime docent.*[5]) Alcimi epigramma est hoc (Anthol. lat. ed. Riese c. 713):

[1]) collegit Baehrensius. Poet. lat. min. vol. IV p. 159 sqq.

[2]) vide quae monuit Comparetti l. c. p. 140 sq.

[3]) Poet. lat. min. VI,1 p. 26 sqq.

[4]) Profess. Burdig. III 21 sqq. (p. 57 Sch.):

et Iulianum tu magis famae dabis
 quam sceptra, quae tenuit brevi.
Sallustio plus conferent libri tui
 quam consulatus addidit.

[5]) vide quae exposuerunt Juelicherus in encycl. reali ed. a Georgio Wissowa vol. 1 p. 1544 et Martinus Schanz in hist. litt. Rom. vol. IV tom. 1 p. 43.

Maeonio vati qui par aut proximus esset,
 consultus Paean risit et haec cecinit:
si potuit nasci, quem tu sequereris, Homere,
 nascetur, qui te possit, Homere, sequi.

Hoc epigrammate haud aliter atque illis versibus opusculo Catalepton subiectis poeta Mantuanus summis laudibus effertur et lepide comparatur cum Homero. Qua in re id quoque dignum est quod commemoretur, horum utrumque epigramma ordiri ab iisdem fere vocibus. Deinde adponamus aliud exemplum, quo idem Alcimus versibus prosequitur Cn. Domitii Afri dictum quoddam nobis relatum a Quintiliano.[1]) Est hoc (Anthol. lat. ed. Riese c. 740):

De numero vatum si quis seponat Homerum,
 proximus a primo tunc Maro primus erit.
at si post primum Maro seponatur Homerum,
 longe erit a primo, quisque secundus erit.

Tum simile argumentum praebent hi quoque versus, quos qui scripsit Vergilium ipsum gloriantem inducit (Anthol. lat. ed. Riese c. 674ª, olim 788):

Maeonium quisquis Romanus nescit Homerum,
 me legat et lectum credat utrumque sibi.
illius immensos miratur Graecia campos;
 at minor est nobis, sed bene cultus ager.
hic tibi nec pastor nec curvus deerit arator;
 haec Grais constant singula, trina mihi.

Iam illi versus opusculo Catalepton subiecti ab aetate Augustea abiudicandi sunt ob duas elocutionis proprietates. Primum quidem hoc iuvabit adnotare in v. 2 inveniri adiectivi formam *Homereus*, quod est Graecorum Ὁμήρειος.

[1]) Instit. orat. X 1, 86: *utar enim verbis isdem, quae ex Afro Domitio iuvenis excepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, secundus, inquit, est Vergilius, propior tamen primo quam tertio.*

Illo loco excepto haec forma nusquam occurrit. Namque scriptores veteres et praecipui plerumque usi sunt vocabulo *Homericus*, cum adiectivum *Homerius* semel adhibitum sit a Suetonio, Ner. 47.[1]) Deinde autem si v. 3 carmina iuvenalia nominantur *poetae elementa*, haec dicendi consuetudo maxime abhorret ab Augusti aetate. Vox enim *elementum* a Lucretio et Cicerone inducta in linguam Latinam[2]) initio quidem aeque atque Graecorum *στοιχεῖον* significabat ut singula ordinis alicuius membra ita singulas litterarum formas. Mox vero hoc vocabulum philosophis fuit usitatissimum eique subiecta est vis initiorum vel principiorum, e quibus omnes res oriri Epicurei docebant.[3]) At vero eo, de quo iam disserimus, loco vox *elementa* posita est pro tirociniis vel prolusionibus, ut Diomedes (p. 512, 27 Keil) dixit, significatque prima poetae carmina.[4])

Quibus de causis illud epigramma quarto demum p. Chr. n. saeculo factum atque toti carminum minorum corpori, quod fortasse eodem fere tempore ortum est, adiectum esse persuasum habeo. Libro autem ipsi Catalepton epigramma subscriptum esse videtur ob eam causam, quod hic olim ultimo totius corporis loco legebatur; et sic pervenit ad nos, cum huius opusculi ipsius esse putaretur.[5])

---

[1]) vide K. E. Georges, Lexikon der latein. Wortformen Lips. a. 1890 p. 323; cf. etiam quae adnotavit Lucianus Mueller in Horat. edit. (Vindobonae a. 1893) ad art. poet. v. 120 p. 273 sq.

[2]) Vergilius hac voce numquam usus est.

[3]) cf. Cic. Acad. I 7, 26: *itaque aer — hoc quoque utimur iam pro latino — et ignis et aqua et terra primae sunt, ex iis autem ortae animantium formae earumque rerum quae gignuntur e terra. ergo illa initia et, ut e Graeco vertam, elementa dicuntur.*

[4]) de hac re subtiliter et docte disseruit Hermannus Diels, *Elementum*, Lips. a. 1899 p. 68 sqq.

[5]) sine interstitio coniunctum est in codicibus cum Catalepton c. XIV.

Sed quomodo hoc corpus inscriptum fuerit, non iam scimus propterea, quod scriptores antiqui tacent. Diomedes enim grammaticus quod Catalepton c. III * respiciens indicat in Arte grammatica[1]): *priapeum, quo Vergilius in prolusionibus suis usus fuit, tale est*

incidi patulum in specum procumbente Priapo,[2])

vocem *prolusiones* non libri titulum esse voluit, sed Vergilium, cum proluderet, priapeum quoque metrum adhibuisse dixit.

Illa vero ipsa carmina minora, quae in catalogo Murbacensi enumerantur, pleraque occurrunt etiam in ea vita Vergiliana, quam Aelius Donatus grammaticus medio fere saeculo quarto condidit. Apud quem scripta videmus haec[3]): *Poeticam puer adhuc auspicatus in Ballistam ludi magistrum ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus distichon fecit*:

monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus:
nocte die tutum carpe viator iter.

deinde Catalecton et Priapia et Epigrammata et Diras, item Cirim et Culicem, cum esset annorum XXVI[4]), *cuius mate-*

---

[1]) Grammatici latini ed. Henricus Keil vol. I p. 512, 27.

[2]) hunc versum cum in carminibus Vergilianis non legamus, a Caesio Basso, qui in hac Artis grammaticae parte Diomedis auctor fuit, fictum esse omnes fere viri docti recte consentiunt; vide quae adnotant Ribbeckius l. c. p. 4. Leo l. c. p. 18 sq. Birtius l. c. p. 4.

[3]) vide C. Suetonii Tranquilli reliq. ed. Augustus Reifferscheid Lips. a. 1860 p. 58.

[4]) sic legendum esse pro *XVI*, quod praebent codices, rectissime intellexit Vollmerus in P. Papinii Statii Silvarum edit. Lips. a. 1898 p. 378. Statius enim in genethliaco, quod conscripsit die natali quinquagesimo Lucani mortui adpetente, i. e. a. 89 p. Chr. n., hoc testatur de omnibus illius poetae carminibus (Silv. II 7, 73 sq.):

haec primo iuvenis canes sub aevo
ante annos Culicis Maroniani.

Id autem constat Lucanum XXVI annos natum a. 65 p. Chr. n. mortem sibi conscivisse.

ria talis est: pastor fatigatus aestu cum sub arbore condormisset et serpens ad eum proreperet e palude, culex provolavit atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. at ille continuo culicem attrivit et serpentem interemit ac sepulcrum culici statuit et distichon fecit:

parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
funeris officium vitae pro munere reddit.

scripsit etiam de qua ambigitur Aetnam.

Alterum testimonium de Vergilii carminibus iuvenalibus exhibet commentatio, quae nunc Servii grammatici commentariis in Aeneidem praemissa legitur. Hanc ex ampliore poetae vita excerptam esse postquam iam Hermannus Hagen [1]) atque Georgius Thilo [2]) suspicati sunt, nuperrime novis argumentis confirmavit Eduardus Norden.[3]) Servius igitur vel is, qui huius vitam Vergilianam excerpsit, ait ita [4]): *primum ab hoc distichon factum est in Ballistam latronem* (sequitur epigramma supra adlatum); *scripsit etiam septem sive octo libros hos: Cirim, Aetnam, Culicem, Priapeia, Catalepton* [5]), *Epigrammata, Copam, Dirus.* Hae duae tabulae inter se non differunt. Namque inter opuscula a Donato enumerata librarii socordia titulum *Copam* vel *Cupam*, ut Vergilium carmen inscripsisse testatur Iulio Romano auctore Charisius in Arte grammatica [6]), ante verba *et Culicem* intercidisse Baehrensius [7]) recte cognovit. Quod si verum est, perperam iudicat

[1]) annal. philol. suppl. IV (a. 1867) p. 682.

[2]) Servii grammatici commentarii rec. Thilo et Hagen vol. I p. LXXVII.

[3]) mus. Rhen. vol. LXI (a. 1906) p. 171 sq.

[4]) in Thilonis edit. vol. I p. 1.

[5]) sic in codice Parisino recte scriptum est, cum ceteri codices praebeant *Catalecton.*

[6]) Grammatici latini ed. Keil vol. I p. 63, 10: *communia: cupo cuponis, fullo fullonis; quamvis Vergilius librum suum Cupam inscripserit.*

[7]) annal. philol. vol. CXI (a. 1875) p. 137 adn. 1. Poet. lat. min. vol. II p. 4; vide etiam Rudolfum Peiper, *Q. Valerius Catullus* p. 70 adn.

Nordenus [1]), qui Naekium [2]) et Ribbeckium [3]) secutus illam elegiam a Donato omissam, postquam ante Charisii auctorem inter Vergiliana recepta esset, collectioni suae Servium addidisse adserit. Quod autem leguntur haec verba *scripsit etiam septem sive octo libros hos* atque deinde enumerantur octo opuscula, id pertinere ad Aetnam, de quo carmine ambigi Donatus tradit, Ribbeckius, Leo [4]), alii optimo iure, ut mihi quidem videtur, contenderunt.

Memoriam quae est in Donati vita maximam partem redire ad C. Suetonii Tranquilli operis De viris illustribus caput id, quod erat de poetis, primus nisi fallor Reifferscheidius (l. c. p. 401) intellexit atque paucis abhinc annis denuo ostendit Gustavus Koertge.[5]) Itaque id satis adparet, iam Suetonium perscripsisse octo illa carmina, quae enumerant Donatus eumque secutus Servius, dico Culicem, Cirim, Copam, Priapea, Epigrammata, Catalepton, Diras, Aetnam. Atque ex ipso Suetonio Donatum sumpsisse illud iudicium de Aetna per se constat, praesertim cum Suetonius ambiguorum atque auctoris nomen falso praeferentium scriptorum censuram agere adamet.[6])

At ea verba, quibus epyllii Culicis argumentum breviter enarratur, a Donato ipso addita esse omnes fere viri docti consentiunt [7]). Qua e re id fortasse vere colligitur

[1]) l. c. p. 170.

[2]) l. c. p. 222.

[3]) Appendix Vergiliana ed. Lips. a. 1868 p. 1.

[4]) in Culicis editione p. 18.

[5]) In Suetonii de viris illustribus libros inquisitionum capita tria (= Dissertat. philolog. Halens. vol. XIV [a. 1901]) p. 189 sqq.

[6]) quam rem demonstravit Koertgius l. c. p. 218 adferens ex Horatii vita locum eum, quo Suetonius disserit de elegis et epistula prosa oratione missa ad Maecenatem, quae falso adtribuebantur Horatio, tum ex Antonii Gniphonis grammatici vita verba ea, quibus illustrat, quid L. Ateius Philologus sentiat de illius scriptis relictis.

[7]) vide quae monuerunt Leo in Culicis edit. p. 18; *Die griechisch-römische Biographie nach ihrer litterarischen Form,* Lips. a. 1901 p. 12 adn. 5. Koertge l. c. p. 226. Norden l. c. p. 168.

huic grammatico Culicem solum in manibus fuisse. Quamquam Vollmerus[1]) additamentum illud factum esse censet posteriore demum tempore a librario, in cuius manus Culicis codex casu inciderit.

Servii autem vitam ex ipso Suetonio excerptam esse contendit Fridericus Leo.[2]) Quam sententiam reiciendam esse vitamque ad Donatum redire Thilo[3]), Koertgius (l. c. p. 207), Nordenus (l. c. p. 170) nos edocuerunt nisi verbis, quae scripta videmus in Servii praefatione ad Bucolica, hisce (vol. III fasc. 1 p. 3,28 Thilo): *et dicit Donatus, quod etiam in poetae memoravimus vita.*

Restat ut strictim adtingam eam vitam Vergilianam, quam Donatum secutus Focas grammaticus urbis Romae versibus condidit. Qui postquam distichon in Ballistae memoriam compositum adtulit, solius Culicis mentionem facit v. 26[4]):

hinc Culicis tenui prolusit funera versu.

Neque vero in vita de commentario Valerii Probi sublata[5]) neque in Bernensi quam vocant vita[6]) neque in excerptis Hieronymianis[7]) quicquam refertur de Vergilii carminibus iuvenalibus.

Sed revertamur ad Suetonium. Cum hic in Vergilii vita referret de opusculis poetae adulescenti adscriptis, ea in singulis chartis exarata atque in una cista vel capsa adservata[8]) fuisse veri est simillimum.[9]) Quod concludere

---

[1]) in act. acad. Bavar. a. 1907 p. 338 adn. 2.

[2]) in Culicis edit. p. 18.

[3]) annal. philol. vol. CIL (a. 1894) p. 290.

[4]) Suetonii reliq. ed. Reifferscheid. p. 70.

[5]) Servii grammatici commentarii rec. Thilo et Hagen vol. III fasc. 2 p. 323 sqq.

[6]) vide supra p. 7.

[7]) vide Reifferscheidium l. c. p. 43.

[8]) cf. quae exposuit Birtius, *Das antike Buchwesen in seinem Verhältnis zur Litteratur,* Berol. a. 1882 p. 33 sqq. et *Die Buchrolle in der Kunst,* Lips. a. 1907 p. 248 sqq.

[9]) hanc sententiam protulit Leo l. c. p. 19 sq. eique adstipulati sunt Vollmerus in act. acad. Bavar. a. 1907 p. 342 et Birtius, *Jugendverse und Heimatpoesie Vergils* p. 8.

possumus ex eo modo, quo apud Donatum Serviumque carmina enumerantur et perscribuntur. Iam huic opinioni favere censeo illos Martialis versus (XIV 185) supra (p. 13) adlatos, quibus Culicem in separata charta editum esse testatur. Quod si verum est, non magis quam Suetonio ceteris scriptoribus primi p. Chr. n. saeculi, qui Culicis atque libelli Catalepton mentionem iniciunt, totum corpus carmina Vergiliana minora omnia amplexum in manibus fuit. Libellum enim Catalepton significavisse probabile est C. Plinium Caecilium Secundum, cum scriberet in epistula data ad Titium Aristonem a. 105 p. Chr. n. vel insequenti haec (Epist. V 3, 1.6): *facio nonnunquam versiculos severos parum . . . . inter quos* (sc. auctores) *vel praecipue numerandus est P. Vergilius.* Eodem fere tempore M. Fabius Quintilianus adfert Catalepton c. II scriptum in T. Annium Cimbrum his verbis (Instit. orat. VIII 3, 27—29): *multa alia etiam audentius inseri possunt, sed ita demum, si non appareat adfectatio, in quam mirifice Vergilius* (sequitur c. II omisso versu 2). *Cimber hic fuit, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum est: Germanum Cimber occidit* (cf. Cic. Phil. XI 6, 14). Atque paucis annis ante M. Valerium Martialem Culicis bis (VIII 56, 19 sq. et XIV 185) meminisse supra (p. 13) adnotavimus. De eodem epyllio praesto nobis sunt praeterea duo P. Papinii Statii testimonia, quae supra (p. 1 et 17 adn. 4) adtuli. Denique Culicem strictim tetigit etiam M. Annaeus Lucanus, de quo apud Suetonium reperiuntur haec (in Lucani vita p. 50 Reifferscheid): *dein civile bellum, quod a Pompeio et Caesare gestum est, recitavit . . . ut praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans ausus sit dicere:*

et quantum mihi restat
ad Culicem!

Iam cum nemo scriptor vel poeta Lucanum aetate praecedens commemoret ullum appendicis Vergilianae quam vocant opusculum, ne Ovidius quidem, qui cum scriberet Trist. II 533 sqq.[1]) haud dubium est quin advocaturus fuerit carmina Vergilii minora, si tum nota fuissent, verum inde a Lucani tempore horum non semel mentio fiat, illa Claudio regnante in unum corpus collata atque in lucem emissa esse Baehrensius[2]) falso opinatus est. At vero ex omnibus illis quae adscripsi testimoniis id unum sequitur, ut saeculo p. Chr. n. primo et Culicem et libellum Catalepton a Vergilio esse composita omnes putaverint. Neque vero inde colligi potest iam illis temporibus volumen carmina minora complexum exstitisse. Sed quarto demum p. Chr. n. saeculo constitutum esse credo id corpus, ad quod referendum est illud epigramma finale *Vate Syracosio qui dulcior Hesiodoque.* Coniuncti autem fuisse videntur in hoc omnes libri ei, quos Suetonium enumeravisse Donatus testatur, i. e. Culex, Ciris, Copa, Dirae, Catalepton, Priapea, Epigrammata[3]), Aetna. Quod si recte statuimus, haec sylloga nondum exhibuit Moretum atque elegias in Maecenatem, quae carmina illis accesserunt in codice Murbacensi. Cui opinationi facile accedemus, si animo reputabimus epigramma finale *Vate Syracosio qui dulcior Hesiodoque* ad nos pervenisse in omnibus codicibus subscriptum libro Catalepton, post hunc[4]) autem in

[1]) sunt versus hi:
et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor
contulit in Tyrios arma virumque toros,
nec legitur pars ulla magis de corpore toto,
quam non legitimo foedere iunctus amor.
Phyllidis hic idem teneraeque Amaryllidis ignes
Bucolicis iuvenis luserat ante modis.

[2]) Poet. lat. min. vol. II p. 38.

[3]) de ratione ea, quae intercedit inter titulos *Catalepton, Priapea, Epigrammata* atque versus nobis servatos sub inscriptione *Catalepton,* infra fuse agemus.

[4]) nam Priapea quoque complectebatur olim libellus Catalepton.

codice Murbacensi carmen ipsum Moretum positum esse. In totius igitur corporis, quod olim libello Catalepton concludebatur, fine postea, ineunte fere medio aevo nisi fallor adiectum esse videtur Moretum. Hoc idyllium atque elegias ad Maecenatem Vergilianis quae putabantur adhaesisse haudquaquam mirum est. Namque Moreto vita rustica describitur aeque atque Vergilii Eclogis atque Dirarum carmine. Maecenatem autem Marone familiariter usum esse eique identidem favisse omnes norunt. Sed ut Vergilius ipse illas elegias componeret, factum esse non potest propterea, quod hae scriptae sunt in Maecenatis obitum, quem mortuum esse satis constat autumno anni 746/8, i. e. undecim annis post Vergilium, quem a. 735/19 vita decessisse constat.[1])

Moretum autem quamquam poetam ipsum Mantuanum composuisse certis argumentis ostendi non potest[2]), attamen aetati Vergilianae recte tribuit iam Scaliger[3]) comparans v. 76

grataque nobilium requies lactuca ciborum,

[1]) postquam viri docti diu incerti haeserunt, cuinam tempori elegiae adscribendae essent, Franciscus Skutsch in encycl. reali ed. a Georgio Wissowa vol. IV p. 946 sq. atque Fridericus Lillge, De elegis in Maecenatem quaestiones, diss. Vratislav. a. 1901 dilucide probaverunt illas Augustea ipsa aetate non ita multo post Maecenatis obitum factas esse.

[2]) hoc quod Gerhardus Iohannes Vossius, De poet. graec. c. 9 testatur, Isaacum filium in codice quodam Ambrosiano — eum esse codicem Ambrosianum T. 21 sup. chartac. saec. XV adnotat Remigius Sabbadini in *Rivista di filologia* vol. XXXI (a. 1903) p. 472 — legisse *Parthenius Moretum scripsit in Graeco, quem Vergilius imitatus est* medio demum aevo additum esse putandum est; vide Baehrensium, Poet. lat. min. vol. II p. 178 et Vollmerum in act. acad. Bav. a. 1907 p. 341 adn. 2.

[3]) Appendix Vergiliana ed. Lugduni a. 1573 p. 421 sq.

unde lactucam illo tempore esse mensam secundam comperimus, cum Martialis epigrammate hoc (XIII 14):

Cludere quae cenas lactuca solebat avorum,
dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Huc accedit quod illa aetate in deliciis fuerunt carmina bucolica, cui rei testimonio sunt, ut alia omittam, Eclogae Vergilii atque Dirae. Iam paucis decenniis ante a Sueio quodam idyllium, quod et ipsum Moretum inscriberetur, editum fuisse octo hexametris adlatis testatur Macrobius (Sat. III 18, 11). Neque vero mihi quidem probabile esse videtur idem argumentum, quod brevi tempore ante alius poeta tractaverat, Vergilium ipsum quoque versibus prosecutum esse.[1])

Omnia ea quae coniuncta tenuit illud corpus saeculo p. Chr. n. quarto constitutum, carmina, i. e. Culicem[2]), Cirim[3]), Copam, Diras, Catalepton, Aetnam, vel a Vergilio iuvene facta vel certe eius aetati adtribuenda esse omnibus exploratissimum est.

---

[1]) recentissimus quantum scio in hanc rem inquisivit Otto Wilder, Quae ratio intercedat inter Moretum carmen et priora opera Vergiliana, Budweis a. 1907. Qui iudicat, ut ipsius verbis utar, sic (p. 10): *Moretum post Vergilii mortem conscriptum esse verisimile est, sed non longe post eius mortem propter versuum elegantiam atque curam.*

[2]) epyllion ioculare Culicem a. 710/44 C. Octavio, qui hoc anno exeunte accepisset nomen Octavianum, dedicatum esse dilucide ostendit Skutschius, *Aus Vergils Frühzeit* p. 125 sqq.; cf. etiam Vollmerum in act. acad. Bav. a. 1907 p. 351 sqq.

[3]) de huius carminis tempore atque poeta nuperrime magna lis mota est inter viros doctos. Etenim cum Skutschius (commentationibus duabus ingeniose scriptis, quas supra p. 2 commemoravi) quique eum secuti sunt, Cirim, priusquam Vergilius Bucolica componere coepisset, ortam esse rectissime, ut mihi ipsi quoque videtur, ostenderint, Leo in Hermae vol. XXXVII (a. 1902) p. 14 sqq. et vol. XLII (a. 1907) p. 35 sqq. confirmare molitus est hoc epyllion post mortem demum Vergilii confectum esse, ita ut penderet e Bucolicorum, Georgicorum, Aeneidis imitatione. Vollmerus autem in act. acad. Bav. a. 1907 p. 357 sqq., quippe qui omnia ad unum opuscula collectionis Suetonianae Maroni ipsi adtribuat, hunc condidisse opinatur Cirim, priusquam accessisset ad Aeneidem componendam.

2.

Iamiam proximum est, ut de historia et fatis libelli Catalepton qui dicitur fuse disputem. In iis, quos supra (p. 5) breviter explanavi, codicibus pervenerunt ad nos tria priapea atque cum his et inter se sine interstitio coniuncta ita, ut quasi unum carmen sit, quattuordecim carmina minora variis metris condita, e quibus octo (c. I. III. IV. VII. VIII. IX. XI. XIV) praebent disticha, tria (c. VI. X. XII) iambos, duo (c. II. V) versus claudos, unum denique (c. XIII) distichis iambicis compositum est. Atque id potissimum respiciamus, cum codex Bruxellensis titulo omnino careat, in codicibus Helmstadiensi et Monacensi *Catalepton uirgilii incipit*, in codice Rhedigerano *Vergilii catalepton*, in codice Arundeliano *P. Virgilii catalepton*, in codice Vaticano Urbinate *P. V. Maronis Cathalectorum Priapus Loquitur* inscriptum esse carminibus priapeis. Codicibus ergo servatus nobis est unus liber septendecim carmina amplexus, cui praescriptus est titulus *Catalepton*. Quae res cum ita se habeat, non recte faciunt editores, si tria priapea a ceteris poematis secernunt atque separatis numeris (I*II*III*) notant. Attamen ne legentes confundamus, numeros eos, qui sunt usitati, retineamus.

In catalogo autem Murbacensi duae syllogae, Catalepton et Priapea, enumeratae sunt.[1])

Iam veterum scriptorum de libello Catalepton testimonia, quae nobis praesto sunt, respiciamus necesse est. C. Marius Victorinus grammaticus, qui quarto p. Chr. n. saeculo medio floruit, cum scriberet[2]): *facit praeterea versum*

---

[1]) vide supra p. 12.

[2]) Grammatici latini ed. Keil vol. VI p. 137,23.

iambicum trimetrum tam ‚Simonides' quam ‚negotio' repetitum ter, haud alias, quam ut aiunt fecisse Vergilium nostrum iambico epigrammate:

thalassio, thalassio, thalassio.

quod bis enuntiatum facit epodon ita:

beatus ille qui procul negotio (sic),
thalassio, thalassio,

spectavit ad Catalepton c. XII 9 et c. XIII 16. Eodem fere tempore Diomedes[1]) grammaticus Vergilium, cum proluderet, priapeum quoque metrum in usum vocavisse testatus est atque Servius et Donatus in Vergilii vitis tres carminum minorum syllogas perscripserunt: Catalepton, Priapea, Epigrammata[2]). Porro epigramma in T. Annium Cimbrum factum (Catalepton c. II) in Vergilii libro, cui inscriptum esset *Catalepta*, se legisse tradit D. Magnus Ansonius sic locutus in Grammaticomastige (p. 139 Sch.):

5 scire velim Catalepta legens, quid significet tau
9 et quod germano mixtum male letiferum min.[3])

---

[1]) Grammatici lat. ed. Keil vol. I p. 512, 27; vide supra p. 17.

[2]) haec testimonia adscripsi supra p. 18 et 17.

[3]) in codice Vossiano L. F. 111, qui exhibet editionem priorem Pacato dedicatam, scriptos videmus versus hosce:

5 dic quid significent Catalepta Maronis? in his al
6 Celtarum posuit, sequitur non lucidius tau,
7 imperium litem Venerem cur una notat res?
8 estne peregrini vox nominis an Latii sil
9 et quo⟨d⟩ germano mixtum male letiferum min?

Sed v. 9, qui haud dubie falso loco traditur, post v. 6 ponendus est. Etenim versus 7 et 8 minime pertinent ad illud epigramma Vergilianum. At cum *al Celtarum* per errorem commemoratum esset, Ausonius ipse in altera editione, quam dicavit Drepanio Paulo, duos versus 5 et 6 contraxit in hunc unum:

scire velim Catalepta legens, quid significet tau?

vide quae exsecuti sunt Baehrensius, Poet. lat. min. vol. II p. 43 sqq. et Vollmerus in act. act. Bavar. a. 1907 p. 343 adn. 2.

Idem libelli Catalepton carmen permultis annis ante Quintilianus (Instit. orat. VIII 3, 28)[1]) adtulerat. Ex iis igitur quos congessi locis omnibus ad diiudicandam quaestionem propositam id unum adparet, Ausonium epigramma in Cimbrum compositum legisse in opusculo, cui erat titulus *Catalepta*, nisi forte Ausonius ipse recte traditum *Catalepton*, cum quid hoc sibi vellet, non iam videret, transformavit in falsam formam pluralem *Catalepta*[2]).

Quod hunc titulum adtinet, in eo adferendo fluctuant codices praeterea inter *catalecton, cathalectorum, catalecta*, quae formae respondere videntur Graecis vocibus *καταλεκτῶν* et *καταλεκτά*, i. e. electa (sc. carmina). Sed rectissime Theodorus Bergk[3]) veram formam esse ostendit *Catalepton*, i. e. *κατὰ λεπτόν*, qua adpellatione carmina tenuia notarentur[4]). Atque Bergkio adstipulatus Robertus Unger[5]) inscriptionem *Catalepton* sumptam esse cum magna probabilitatis specie adseruit ex Arato, quem composuisse *τὰ κατὰ λεπτόν* apud Strabonem (X 5, 3 p. 486) et *κατὰ λεπτὸν ἄλλα*[6]) in illius poetae vita[7]) scriptum videmus. Quin Vergilius ipse hanc singularem adpellationem mutuatus sit ab Arato, utpote cuius exemplum in Georgicis componendis ubertim secutus

---

[1]) videas quaeso supra p. 21.

[2]) hoc esse Graecorum *κατάλειπτα*, i. e. relicta (sc. scripta) Baehrensio in annal. philol. vol. CXI (a. 1875) p. 141 videtur.

[3]) mus. Rhen. vol. XX (a. 1865) p. 291 = Opusc. vol. II p. 745 nr. 52.

[4]) Ribbeckius, *Geschichte der röm. Dichtung* vol. II (Stutg. a. 1889) p. 14 hunc titulum vertit in sermonem Germanicum sic *Schnitzel*, Martinus Schanz, *Geschichte der röm. Litteratur* vol. II fasc. 1 edit. alt. (Monach. a. 1899) p. 72 *poetische Kleinigkeiten*, Georgius autem Wissowa *Catalepton* reddidit per *Leichthingeworfenes*.

[5]) annal. philol. vol. CXIII (a. 1876) p. 429 sq.

[6]) Birtius l. c. p. 7 adn. 1 sic legendum esse conicit: *καὶ κατὰ λεπτὸν ⟨καὶ⟩ ἄλλα.*

[7]) cf. Ernestum Maass, Aratea (= *Philolog. Untersuchungen* ed. Kießling et Wilamowitz-Moellendorff) Berol. a. 1892 p. 247.

sit, haud dubium est. Minime abhorret a Vergilii consuetudine haec forma Graeca, quoniam etiam Bucolica, Georgica, Aeneis titulos adsumptos ex lingua Graeca prae se ferunt. Neque incommode electa est inscriptio *Catalepton*, cum sic versus tenues et breves oppositi sint maioribus carminibus. Etenim Vergilius in illum librum congessit poematia, quae pleraque adulescens fecit, ita ut primo loco invenirentur tria priapea eaque subsequerentur carmina, quae praebent varia metra variumque argumentum. Quod opusculum in lucem emisisse videtur Vergilius ipse non multo tempore post annum 719/35, i. e. paucis annis postquam Bucolica ad finem duxit. Hoc enim tempore omnium libelli Catalepton carminum eorum, quae cuinam anno adtribuenda sint certis argumentis definiri potest — neglegimus versus eos, qui non sunt Maronis ipsius — novissimum profectum est c. XI *Quis deus, Octavi, te nobis abstulit?* Cetera autem carmina non post illum annum orta esse veri est simillimum. Sed quando unumquodque compositum sit, cum viri docti abunde demonstraverint[1]), hanc quaestionem strictim adtingere satis habeo.

C. V *Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae*, quo poeta rhetores grammaticosque atque S. Sabinum familiarem valere iubet, cum Epicuri praecepta a Sirone discere in animo habeat, a. fere 701/53 vel paulo post conditum esse videtur. Tum enim Vergilium postquam Cremonae studiis grammaticis et rhetoricis operam navavit, Mediolanum et inde Romam, qua in urbe philosophiae Epicureae se dedisse putandus est, transgressum esse comperimus e Donati vita[2]) et Hieronymi Chronicis.[3])

---

[1]) vide quae exposuerunt Ribbeckius, Appendix Vergiliana a. 1868 p. 4 sqq. Baehrensius, Poet. lat. min. vol. II p. 33 sq. Buechelerus in mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 507 sqq.

[2]) Suetonii reliq. ed. Reifferscheid p. 55.

[3]) ad a. Abr. 1959, i. e. a. 696/58 atque ad a. Abr. 1964 i. e. a. 701/53; cf. Eusebii Chronicorum libri duo rec. Alfredus Schoene vol. II (Berol. a. 1866) p. 137.

C. X *Sabinus ille, quem videtis, hospites* anno fere 711/43 adscribendum esse optimo iure statuit Buechelerus.[1]) Quibus versibus qui carpitur, quod antea mulio fuerit, iam vero magistratu curuli fungatur, Sabinus secundum Petri Victorii[2]) coniecturam probabilem indicat P. Ventidium[3]), quem a. 711/43 consulem suffectum fuisse testantur fasti Colotiani.[4])

Eodem fere tempore factum est c. II *Corinthiorum amator iste verborum*, quo castigatur T. Annius Cimber, quod vocabulis antiquis insipide uti soleat idemque fratrem veneno necaverit. Huius enim caedis mentionem fecit Cicero in undecima oratione Philippica (§ 14) habita vere anni 711/43.[5]) Iam quod Annium Cimbrum esse Corinthiorum verborum amatorem poeta versu primo enuntiat, haec dicendi ratio ad verba translata a vasis Corinthiis pertinet ad coloniam Laudem Iuliam, quam deduxit Corinthum C. Iulius Caesar extremo vitae anno, i. e. a. 710/44.[6])

Carmine VIII *Villula, quae Sironis eras, et pauper agelle*, quibus versibus Vergilius adloquitur villam, quam olim Siro philosophiae praeceptor in regione Transpadana nisi fallor habuit, atque eam orat, ut se suosque familiares recipiat, si quid adversi sibi acciderit, agrorum adsignationes tanguntur eae, quas tresviri pugna ad Philippos commissa a. 712/42 fecerunt.[7])

---

[1]) mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 518 sq.

[2]) in adnotatione ad Cic. Epist. ad fam. X 18 p. 107 Graev.

[3]) P. Ventidii memoria cum cavillatione Quinctionis cuiusdam mulionis Cremonensis, de quo bene egit Birtius l. c. p. 116 sqq., lepide coniuncta est.

[4]) C. I. L. vol. I p. 1 edit. alt. p. 64; cf. etiam fastos Amiterninos (ibid. p. 61) atque Amerinos (ibid. p. 63).

[5]) vide Ribbeckium l. c. p. 6 sq. atque adde quae disseruit Birtius l. c. p. 53 sq.

[6]) de hac re agit Buechelerus l. c. p. 507 sq.

[7]) cf. quae referuntur de adsignationibus a Servio ad Verg. Buc. VI 64 et IX 28 atque a Probo in Vergilii vita (Servii com-

Iam duobus carminibus IV *Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae* et XI *Quis deus, Octavi, te nobis abstulit?* commemoratur Octavius Musa, qui fuit nobilis rerum scriptor[1]), et illo quidem epigrammate hunc amicum dulcissimum sese in perpetuum amaturum esse Vergilius spondet, hoc autem eius mortem praematuram valde luget. Neque improbabile esse videtur ad eundem spectare Horatium, qui praeter alios Octavio cuidam satiras suas probatum iri sperat (Sat. I 10, 81 sqq.):

Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus, et haec utinam Viscorum laudet uterque.
ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messalla, tuo cum fratre, simulque
vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni.

Iam quia Horatius hoc loco Octavium inter ceteros suos amicos superstites enumerat, eum quoque in vivis fuisse veri simillimum est tum, cum satira decima scripta est. Id autem satis constat, hanc satiram omnium, quae leguntur in libro priore, novissimam composuisse poetam a. 719/35. Etenim qui et ipse inter Horatii amicos enumeratur Bibulus (v. 86), i. e. C. Calpurnius Bibulus Antonii partes secutus illo anno ineunte Romae versabatur, ut testatur Appianus (b. c. V 132). Qua de causa ut Vergilius ante annum 719/35 Catalepton c. XI luderet, factum esse non potest. Alterum autem carmen ad eundem Octavium Musam datum (c. IV) paucis annis ante compositum esse videtur.

---

ment. rec. Thilo et Hagen vol. III fasc. 2 p. 327). Quibus addas ea quae disseruit Guilelmus Kroll in mus. Rhen. vol. LXIV (a. 1909) p. 50 sqq.

[1]) testimonia de hoc scriptore congessit Hermannus Peter, Hist. Rom. reliq. vol. II (Lips. a. 1906) p. LXXXXVIII sq.

Quod autem adtinet ad priapeum secundum (Catalepton c. II*), in hoc componendo poetae Ecloga prima haud dubie ob oculos obversata est. Etenim priapei v. 12 sq.

meisque pinguis agnus ex ovilibus
gravem domum remittit aere dexteram

perspicuam similitudinem praebent Buc. I 8

saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus

et v. 34 sq.

pinguis et ingratae premeretur caseus urbi
non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.[1])

Quae res si ita se habet, priapeum secundum conditum est post annum fere 714/40.

Neque vero certe definire possumus, quando reliqui libri Catalepton versus, quos Vergilius ipse condidit, profecti sint.

Brevi tempore post huius mortem, nisi fallor, illi corpori adnexa sunt tria carmina, quae non a poeta Mantuano ipso, at certe eius aetate facta sunt, dico elegiam ad Valerium Messallam (c. IX), epodum in Luccium quendam (c. XIII), disticha ad Venerem (c. XIV), quae totius libri epigrammatis finalis, ut ita dicam, vice fungitur. Sed quibus rationibus ductus tria haec carmina abiudicem a Vergilio, secundo dissertationis capite diligenter et adcurate exponendum erit.

Quae si recte sic statuimus, reicienda est Vollmeri[2]) sententia, qui Vergilium quidem elegisse titulum *Catalepton* neque vero hunc ipsum, sed L. Varium vel Plotium Tuccam, qui familiaritate coniuncti cum poeta Mantuano Aeneidis quoque editionem paraverunt, in lucem emisisse

---

[1]) hoc loco non Eclogam pendere ex imitatione priapei, sed illam esse priapei exemplum Georgius Wissowa me docuit. Contra Birtius l. c. p. 32 hoc priapeum sine dubio ante Bucolica scriptum esse contendit; cf. etiam Moreti v. 82

inde domum cervice levis, gravis aere redibat.

[2]) act. acad. Bavar. a. 1907 p. 344 sq.

contendit libellum post Vergilii mortem, i. e. post annum 735/19. At vero si Vergilius elegit illam inscriptionem, factum esse non potest, quin hic ipse quoque carmina congereret in unum librum atque ederet. Ab illa Vollmeri sententia haud multo discedit id, quod nuperrime Birtius[1]) protulit docens L. Varium vel Plotium Tuccam non modo opusculum Catalepton in lucem edidisse intra annos 735/19 et 739/15, sed ab illorum alterutro profectum esse etiam titulum atque epigramma finale *Vate Syracosio qui dulcior Hesiodoque*. Sed hoc carmen quarto demum p. Chr. n. saeculo ortum esse atque ad corpus omnia carmina Vergiliana minora amplexum pertinere supra (p. 13 sqq.) intelleximus.

Iam vero videamus, quae ratio intercedat inter titulos tres a Donato Servioque commemoratos *Catalepton, Priapea, Epigrammata*, atque carmina ea, quae in codicibus ad nos pervenerunt sub inscriptione *Catalepton*. Atque primum quidem nobis minime fit credibile id, quod Leo probavit. Is enim vir doctus Naekium[2]), Peiperum[3]), Lucianum Mueller[4]) secutus, quomodo iudicet de hac quaestione, exponit hisce verbis[5]): *enumerantur tres collectiones, quarum prima post mortem poetae facta (catal. 14) suo epigrammate concluditur (vate Syracosio), altera nunc quidem tria poematia comprehendit, sed in codicibus cum priore ita coniuncta est ut eam antecedat titulo catalepton subiecta; tertia servata est in anthologia Salmasiana (256—263 R.), sed nec solida nec integra.* Sed hanc quam Leo professus est sententiam relinquendam esse facile cognoscemus, si explanabimus, quae sint carmina illa anthologiae Latinae atque quomodo pervenerint ad nos.

---

1) l. c. p. 6.
2) Carmina Valerii Catonis p. 226.
3) *Q. Valerius Catullus* p. 70 adn.
4) in Valerii Catulli edit. Lips. a. 1885 praef. p. XLI.
5) in Culicis edit. p. 18.

Septem ex his carminibus constant e singulis distichis, cum unum (c. 260) comprehendat duos hexametros. Invenitur autem celeberrimum illud epigramma (c. 261), quod Vergilius puer in Ballistam ludi magistrum eundemque latronem composuisse traditur, etiam in poetae vitis iis, quas Donatus et Servius scripserunt. Atque hac in re id potissimum respiciamus, hoc epigrammate adlato ad opuscula iuvenalia enumeranda transire Donatum usum verbis hisce *deinde (fecit) Catalepton* . . ., Servium autem sic locutum *scripsit etiam* . . ., unde illud distichon in libello, quod inscriberetur *Epigrammata*, non exstitisse colligere possumus. Iam duo alia (cc. 256. 257), quae artissimo argumenti vinculo inter se cohaerent, praebent codices quoque interpolati vitae Donatianae[1]), ubi ad alterius pentametrum adiecti sunt tres alii, ut pertinerent ad quattuor Georgicorum libros, atque horum versuum explicandorum causa fabula mirabiliter ficta enarratur.[2]) Quartum autem epigramma (c. 262) est Ovidii dictum celeberrimum, quod invenitur in Trist. II 33 sq. Quibus accedunt quattuor alia poematia.

Iam deinceps si quaeritur, quibus codicibus octo haec epigrammata nobis tradita sint, legimus ea Vergilio ut auctori addicta omnia in clarissimo codice Salmasiano, nunc Parisino 10318 saec. VII p. 136 sq. Quem continere omnes norunt carmina pleraque anthologiae Latinae eius, quam inter annos p. Chr. n. 532 et 534 Carthagine a Luxorio confectam esse verisimile est.[3]) Praeterea huius

---

1) Suetonii reliq. ed. Reifferscheid p. 66 sq.; cf. etiam R. Sabbadini, *Le biografie di Vergilio* (= *Studi italiani di filologia classica* vol. XV [a. 1907]) p. 211 sq. et 248 sq.
2) c. 257 codice Salmasiano recte servatum esse testatur Aldhelmus, qui (p. 309 Gil.) adhibet versum secundum.
3) vide quae monuit Otto Schubert, Quaestiones de anthologia codicis Salmasiani, diss. Lips. a. 1875 p. 17 sq.; cf. etiam Alexandrum Riese, Anthologia latina ed. alt. p. I fasc. 1 (Lips. a. 1894) praef. p. XXV sq.

florilegii excerpta continentur aliis libris manu scriptis. E quibus, ut omittam codices exigui pretii vel recentiores, exhibet codex Parisinus 8069 saec. XI[1]) omnia illa octo carmina, sed eo modo, ut in fol. 2r legantur c. 258. 259. 260. 262. 263 atque in fol. 121v c. 256. 257. 261. Iam insunt in codice Parisino 8071, olim Thuaneo, saeculi vel exeuntis IX vel ineuntis X carmina haec: c. 256. 257. 259. 260. 261. 263, in codice Vossiano Q 86 saec. IX haec: c. 256. 257. 259. 260. 261, in codice Parisino lat. 8093 saec. IX/X[1]) fol. 60r c. 256. 257. 261. Quodsi respicimus, quomodo in his codicibus alia carmina cum aliis varie conexa sint, non possumus non concludere in anthologia Latina olim exstitisse caput, quod complectebatur diversos versus, qui aut Vergilii ipsius esse putabantur aut pertinebant ad hunc poetam eiusve opera. Itaque ab octo illis epigrammatis vix secernenda sunt alia, velut c. 160, quod in codice Parisino 8093 c. 257 subsequitur, aut c. 161 aut c. 264 (= Prop. II 34, 65 sq.) ipsum quoque adlatum a Donato (p. 61 Reiff.), quibus versibus Propertius Aeneidem nascituram summis laudibus effert. Atque fortasse etiam Maronis epitaphium *Mantua me genuit* (p. 63 Reiff.) et illud *Parve culex pecudum custos* (p. 58 Reiff.) ex vita Donatiana recepta sunt in hoc anthologiae caput.[2]) Illa igitur carmina, quae quondam in opusculo, cui fuerit titulus *Epigrammata*, exstitisse Naekius alii censuerunt, exeuntibus demum antiquis temporibus vel ineunte medio aevo collecta atque cum aliis versibus composita esse veri est simillimum.

Neque magis quam Friderici Leo opinionem id, quod Vollmerus[3]) de hac re proposita coniecit, probari posse iudico ob eam causam, quod repugnat codicum memoriae. Hic enim vir summus olim exstitisse opinatur tres car-

[1]) cf. supra p. 6.
[2]) cf. Baehrensium, Poet. Lat. min. vol. IV p. 42 sq.
[3]) act. acad. Bavar. a. 1907 p. 340 sq. et Poet. lat. min. vol. I p. 4.

minum syllogas Priapea, Catalepton, Epigrammata, sed ex his ad nos pervenisse duas tantum, quarum alteri inscriptum fuerit *Priapea*, alteri autem *Catalepton*. Atque cum in illo opusculo inveniantur tria priapea (Catalepton c. I*—III*), libellus Catalepton comprehendit, ut Vollmero videtur, carmina quattuordecim ea, quae codices praeter priapea praebent sub inscriptione *Catalepton* (Catalepton c. I—XIV).[1]) Tertium autem librum, qui exhiberet titulum *Epigrammata*, cum desit in codice Murbacensi, omnino aetatem non tulisse ille vir doctus contendit.

Sed mea quidem sententia haec quaestio difficillima sic solvenda est. Quoniam Donatus eumque secutus Servius enumeraverunt tria opuscula Catalepton, Priapea, Epigrammata, sed codicibus servatus est titulo proposito *Catalepton* unus liber, in quo reperiuntur priapea tria atque nonnulla carmina minora, ob eam rem hi qui accedunt ad priapea versus omnes olim comprehensi esse videntur titulo *Epigrammata*. Liber igitur Catalepton complectitur duas syllogas Priapea et Epigrammata. Neque enim mirum est carmina, quae constant ex aliis versibus atque distichis, dici epigrammata, quippe cum Martialis quoque eius modi poemata receperit in Epigrammatum libros. Iam huic opinationi mire quam favet illud testimonium C. Marii Victorini (p. 137, 23 Keil)[2]), qui Catalepton c. XII conditum iambis puris nominat iambicum epigramma. Quod si verum est, Suetonius cum in Vergilianis carminibus enumerandis scriberet tale: *Catalepton (Priapea, Epigrammata)*, habendum esse voluit *Catalepton* pro titulo communi, *Priapea* autem et *Epigrammata* pro titulis singularibus. Quem locum Suetonianum Donatus, cui opuscula Vergiliana nequaquam in manibus fuisse consentaneum est,

[1]) itaque Vollmerus in Poet. lat. min. edit. vol. I p. 127 Catalepton c. I*—III* praeposuit titulum *Priapea*, ceteris autem carminibus (ibid. p. 130) titulum *Catalepton*.
[2]) vide supra p. 26.

falso intellexit arbitratus illum tres syllogas inter se diversas commemoravisse atque eundem ordinem, qui occurrit apud Suetonium, diligenter retinens scripsit in Vergilii vita haec[1]): *deinde (fecit) Catalecton et Priapia et Epigrammata* . . . Servius vero, qui Donato ipso usus est auctore, carminum ordine temere commutato[2]) titulum *Priapea* posuit primo loco sic locutus[3]): *scripsit etiam septem sive octo libros hos:* . . . . *Priapeia, Catalepton, Epigrammata* . . .[4]) Iam quod in catalogo Murbacensi non reperiuntur nisi inscriptiones *Catalepton* et *Priapea*, alter titulus singularis, sc. *Epigrammata*, casu intercidisse videtur.

---

[1]) vide supra p. 17.

[2]) idem valet in Aetnam, quae in Donati vita ut carmen addubitatum ultimo loco occurrit, apud Servium vero secunda sede collocata est.

[3]) videas quaeso supra p. 18.

[4]) cf. quae exsecutus est Baehrensius, Poet. lat. min. vol. II p. 36 sq. Remigius quoque Sabbadini, Catalepton ed. Leonici a. 1903 p. 6 (cf. quae refert Curcio, *Poeti latini minori* vol. II fasc. 1 p. 5) libelli Catalepton carmina disposita fuisse contendit in dua opuscula Priapea et Epigrammata; neque vero recte ille iudicat, si hoc significavisse adserit Servium verbis *septem sive octo libros hos*. Namque ut cum Sabbadinio illum locum Servianum sic accipiamus, cum ad quinque carmina Culicem, Cirim, Copam, Diras, Aetnam aut unus liber Catalepton aut duo opuscula Priapea et Epigrammata accedant, Servio scribendum fuit non *septem sive octo*, verum *sex sive septem libros hos*.

Caput II.

Quoniam libellus Catalepton et a scriptoribus veteribus et codicibus tributum est poetae Mantuano, eam rationem sequamur necesse est, ut ab hoc abiudicemus ea carmina sola, quae contineant res illius vitae aut dicendi versusque componendi rationi sane repugnantes.[1]) Eius modi tria poemata esse satis mihi constat: elegiam scriptam ad celebrandum triumphum eum, quem M. Valerius Messalla Corvinus teste tabula triumphorum Barberiniana[2]) a. d. VII kal. Oct. anni 727/27 ex Gallia egit (c. IX), deinde epodum in Luccium a. 725/29 vel paulo post factam (c. XIII), denique epigramma ad Venerem (c. XIV), quod sine dubio post mortem Vergilii compositum est.

1.

Quaerendi initium capiamus ab elegia. Priusquam accedamus ad explicanda ea argumenta, quae sententiae nostrae favent, paucis exponere iuvat, quae sint virorum doctorum de huius poematis auctore iudicia valde inter se disparilia. Cum Scaliger[3]) Vergilio hanc elegiam

---

[1]) valde absurdum est Caietani Curcio iudicium, qui (l. c. p. 50) auctorum veterum et codicum testimoniis plane repudiatis ne unum quidem ex iis qui insunt in illo opusculo carminibus a Vergilio factum esse ostendere molitur, sed huius aequalem quendam poetam lusisse c. I—XIII, quibus libelli editor adiecerit c. XIV atque epigramma finale *Vate Syracosio*.

[2]) C. I. L. vol. I p. 1 edit. alt. p. 76; cf. etiam Appian. b. c. IV 38.

[3]) Appendix Vergiliana ed. Lugduni a. 1573 p. 512.

tribuere minime dubitaverit, quam opinionem denuo nuper parum certis argumentis Fridericus Vollmer[1]) et Paulus Jahn[2]) defendere conati sunt, rem in medio reliquerunt Wernsdorfius[3]) et Naekius.[4]) Sed fuerunt, qui aliis poetis carmen adscriberent: C. Valgium Rufum hac elegia Messallam ex Gallia redeuntem salutavisse Robertus Unger[5]) contendit coniecturamque suam stabilivit praecipue ea similitudine, quae intercedit inter illius carminis versus 15 sq. et Valgii disticha de Codro poeta scholiis Veronensibus ad Vergilii Buc. VII 22 servata.[6]) At Ribbeckius[7]) elegiam Lygdami esse adserit propterea, quod anaphora aliaque dictionis ornamenta ab hoc similiter atque in c. IX usurpata sint. Iam ante hos Henricus Meyer[8]) suspicatus est, elegiam ad Messallam scriptam esse ab eodem poeta, qui duas elegias in Maecenatem composuisset.[9]) Sed recte, ut mihi quidem videtur, Bur-

[1]) mus. Rhen. vol. LXI (a. 1906) p. 488 sq. et act. acad. Bavar. a. 1907 p. 345 adn. 3.

[2]) mus. Rhen. vol. LXIII (a. 1908) p. 100 sq.

[3]) Poet. lat. min. vol. III (a. 1824) p. 173 sq.

[4]) Carmina Valerii Catonis p. 233 sq.

[5]) De C. Valgii Rufi poematis commentatio, Halis a. 1848 p. 304 sq.

[6]) est elegiae fragmentum hoc:

Codrusque ille canit, quali tu voce canebas,
atque solet numeros dicere, Cinna, tuos,
dulcior ut nunquam Pylio profluxerit ore
Nestoris aut docto pectore Demodoci.

cf. Fragm. poet. Rom. coll. Aemilius Baehrens, Lips. a. 1886 p. 342.

[7]) Appendix Vergiliana ed. Lips. a. 1868 p. 11 sqq.

[8]) Anthologia veterum latinorum epigrammatum et poematum, Lips. a. 1835 vol. I annotat. p. 46.

[9]) postquam hanc dissertationem confeci, in manus meas venit commentatio *De Ovidio elegiae in Messallam auctore,* quam Geyza Némethy in consessu academiae litterarum Hungaricae mense Novembri a. 1908 recitavit (ed. Budapestini a. 1909); qui vir doctus rationibus prorsus improbabilibus monstrare conatur Ovidium Nasonem adulescentulum sedecim annos natum composuisse hanc elegiam.

mannus[1]), Wagnerus[2]), Forbiger[3]), Hertzbergius[4]), Baehrensius[5]), denique Guilelmus Kroll[6]) et nuperrime Theodorus Birt[7]) elegiam a Vergilio abiudicandam esse censuerunt eamque composuisse poetam aliquem incertum atque mediocrem.

Primum vix credibile est Vergilium tum, cum in Aeneide pangenda versabatur, conscripsisse hanc levem et ieiunam laudationem M. Valerii Messallae, quocum eum consuetudine coniunctum fuisse nullus scriptor testatur. Neque in Vergilii ipsius carminibus Valeriae gentis mentio fit, quamquam commoda idoneaque huius rei occasio haud semel praebita est. Neque enim poeta in Eclogis, quibus Asinium Pollionem, Cornelium Gallum, Alfenum Varum illustri laude celebrat, his adiunxit Messallam neque eo Aeneidis loco (VI 817 sq.), ubi multa verba facit de L. Iunio Bruto primo consule, commemoravit huius collegam P. Valerium Poblicolam, qui inter Messallae Corvini maiores erat.[8]) At in elegia (v. 35 sqq.) hunc Valerium Poplicolam consulatum instituisse diserte refertur. Porro quod poeta v. 55 sq. suum non esse dicit Messallae res gestas dignis laudibus efferre atque v. 59 sq. summa cum modestia enuntiat se contentum esse, si illius Bucolica sermone Graeco scripta adaequare

[1]) Anthol. veter. lat. epigr. et poem. Amstelaedami a. 1759.

[2]) Elegia ad M. Valerium Corvinum Messallam, Lips. a. 1816 p. 7 sq.; sed falso Wagnerus, cui adsentitur Birtius, iudicat docens, cum Messalla *magni magnum decus triumphi* (v. 3) significetur, non huius ipsius triumphum intellegi posse, sed poetam spectare ad eum, quem Octavianus pugna ad Actium commissa — huic enim Messalla victor interfuit — mense Sextili a. 725/29 egexit.

[3]) P. Vergilii Maronis opera vol. III (Lips. a. 1852) p. 588.

[4]) in versione Germanica vol. II (Stutg. a. 1856) p. 123 sqq.

[5]) Poet. lat. min. vol. II p. 34.

[6]) *Neue Jahrbücher für das klassische Altertum, Geschichte und deutsche Literatur* a. 1908 p. 528 sqq.

[7]) *Jugendverse und Heimatpoesie Vergils* p. 92 sqq.

[8]) hoc monuit Krollius l. c. p. 530.

valeat, id in Vergilium minime cadit. Huius enim Bucolica et Georgica tum, cum elegia condita est, iam in magno nomine et gloria erant atque Aeneis componi coepta est. Praeterea ab illa verecundia diversissimum est poetae Mantuani ingenium, qui maiore cum fiducia sui quam elegiae scriptor loquitur Buc. IV 53 sqq.[1]:

O mihi tum longae maneat pars ultima vitae,
spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus
nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

Iam ex arte metrica argumenta ducere licet, quibus elegiam non a Vergilio compositam esse evincatur. Omnes hexametri praeter unum (v. 61), qui codicibus depravatus traditur, dividuntur caesura semiquinaria accedente semiseptenaria in duodeviginti versibus, bucolica in quattuordecim. Qua de causa versus quamquam summa cum arte compositi sunt, tamen lentius aequabiliusque decurrunt, cum omni varietate careant. Haec res carmini communis est cum Lygdami elegiis, e cuius hexametris duo (4, 57. 6, 17) caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον distincti excipiuntur. Sed praeter Lygdamum tales hexametros conscripserunt soli poetae ii, qui exeunte vetere aetate vel medio aevo ineunte vixerunt: Symphosius in Aenigmatis[2]), Priscianus grammaticus in Laude imperatoris Anastasii[3]), Eugenius episcopus Toletanus in carminibus nonnullis.[4]) At Ver-

[1]) vide quae adnotat Wagnerus l. c. ad v. 55.
[2]) Poet. lat. min. ed. Baehrensius vol. IV p. 364 sqq.
[3]) ibid. vol. V p. 264 sqq.
[4]) Eugenii Toletani episcopi carmina ed. Vollmer, Berol. a. 1905 (= Monum. Germ. hist. auct. ant. tom. XIV) p. 232 sqq.; cf. etiam quae exposuit Guilelmus Meyer in act. acad. Bavar. a. 1884 p. 1066 sqq.

gilium, qui hexametros variare et distinguere amat, versus illius modi composuisse neminem esse puto qui concedat.[1]) Pentametrorum autem dimidia ipsa pars cadit in vocem plurium quam duarum syllabarum, qua in re c. IX congruit cum poetarum tempore priorum versibus, sed valde dissentit a Tibulli eiusque aequalium elegantia. Octo enim versus (4. 20. 44. 46. 48. 56. 58. 64) finiuntur trisyllabo, totidem (v. 2. 14. 26. 38. 40. 42. 54. 60) vocabulo quattuor syllabas complexo.

Huc accedunt duo argumenta, quae pertinent ad prosodiam. Primum quidem v. 35 *nón cuius ób raptúm* in thesi dactyli vox *cuius* duarum brevium syllabarum mensura comprehenditur, quod a Marone nunquam admissum est.[2]) Tum in v. 61 *si adíre Cyrénas,* si haec verba recte tradita sunt, nomen urbis Cyrenarum brevi syllaba prima positum est eodem modo quo in Callimachi Hym. 2,73. 94; Epigr. 21,2 et in Catulli c. 7,4. Vergilius vero nomen Cyrenae Aristaei matris, a qua illius urbis vocabulum deductum est, non metitur nisi producta littera y in Georg. IV 321. 354. 376.

Iam a poeta Mantuano tota elegiae indoles et elocutio valde dissentit. Neotericorum more usus auctor incertus speciem doctrinae prae se fert, cum v. 6 triumphatorem inepte comparet cum Diomede vel Meleagro et Eryce atque v. 25 sqq. complures heroidas enumerat, quas cum puella Messallae Bucolicis celebrata componere liceat. Carminis autem non modo sententiarum exilitas, sed etiam tanta verborum inopia est propria, ut in poemate brevissimo

[1]) praeterea in hac elegia spondiacum, quem Vergilius in distichis nunquam usurpaverit, semel (v. 11) occurrere adnotat Birtius l. c. p. 95.
[2]) id apud Lucretium bis invenitur: I 149

principium cuius hinc nobis exordia sumet

et IV 1089

unaque res haec est, cuius quo mage plurima habemus.

multa substantiva et adiectiva verbaque bis saepiusve iterentur. Quod ut perspicuum fiat, adscribam has voces addamque, in quibus versibus legantur:

substativa: *carmen* v. 13. 14. 15. 16. 19. 59. 62; *decus* v. 3. 58; *divi* v. 21. 59 (*divae* v. 22); *gens* v. 51. 53; *sal* v. 14. 62.

adiectiva: *dignus* v. 8. 16; *doctus* v. 2. 20; *durus* v. 42. 46; *horridus* v. 5. 42; *magnus* v. 3 (bis). 6; *maximus* v. 8. 11. 12. 40; *paucus* v. 1. 2. 13; *superbus* v. 6. 37.

verba: *adire* v. 52. 61. 62; *immittere* v. 34. 49; *vincere* v. 16. 26. 48. 54 (cf. *victor* v. 3. 4).

Magnus autem est numerus earum locutionum, quae cum sint obscurae vel prope accedant ad vulgarem dicendi consuetudinem atque prosam orationem, abhorrent a Vergilio. Sunt hae potissimum:[1])

v. 1 *pauca . . . sed non incognita.*

v. 3 *magni magnum decus ecce triumphi.*

v. 7 *nec minus idcirco.*

v. 9 *hoc itaque insuetis iactor magis, optime, curis*, ubi id quoque respiciamus particulam *itaque* ex omnibus poetis, qui Augusti aetate florebant, unum Horatium semel (Epist. I 1, 10) in secunda sede collocavisse.[2])

v. 10 *quid de te possim scribere quidve tibi.*

v. 13 *pauca tua in nostras venerunt carmina chartas*, quibus verbis quid poeta dicere voluerit, non satis in propatulo est. Huc accedit, quod vox *charta* apud Vergilium nusquam invenitur.

———

[1]) de hac re disserit Krollius l. c. p. 529 sq.

[2]) vide Fr. Neue, *Formenlehre der lateinischen Sprache,* edit. tert. vol. II (Berol. a. 1892) p. 976. A. Draeger, *Historische Syntax der lateinischen Sprache,* edit. alt. vol. II (Lips. a. 1881) p. 183.

v. 17 sq. *molliter . . . erant*, ubi adverbium *molliter* accedit ad *esse* contra Vergilianam dicendi consuetudinem.[1])

v. 24 *altera non fama dixerit esse prior.*

v. 36 *Tarquinii patrios, filius atque pater.*

v. 37 *dominatus*, quae vox a Marone nunquam in usum vocata est.[2])

v. 41 *studia ista laboris.*

v. 44 *tam procul hoc gnato, tam procul hac patria*; hoc loco *procul* praepositionis vice fungitur et coniunctum est cum ablativo id quod reperitur apud Ennium[3]), Lucretium, Horatium, alios, nunquam vero in Vergilii poematis.[4])

v. 53 *bellando quaerere gentem.*

v. 56 *quin ausim hoc etiam dicere.*

v. 59 sq. *nos ea, quae tecum finxerunt carmina divi, si laudem aspirare humilis . . . possumus*, ubi cum *ea* pro *eorum* positum sit, adtractio inversa quam vocamus inepte admissa est.

His quae protuli argumentis addamus hoc extremum. Si adcurate investigamus, quemadmodum elegiae auctor poetas aetate antecendentes imitatus sit, illum a Catullo et ab epyllii Ciris scriptore, ab Horatio et Vergilio valde pendere atque, id quod proprium est omnium poetarum mediocrium, ex eorum operibus permultos orationis flosculos adsumpsisse dilucide cognoscimus. Quod adparebit ex hac elegiae comparatione cum Catulli et ceterorum illius temporis poetarum carminibus:[5])

———

[1]) vide Birtium l. c. p. 101 et 183.

[2]) Birtius l. c. p. 106 monet similiter loqui Ciceronem De orat. II 225: *L. Brutus populum Romanum dominatu regio liberavit.*

[3]) Medea v. 260 Vahlen:

multi suam rem bene gessere et publicam patria procul.

[4]) cf. Buc. X 46: *tu procul a patria.*

[5]) iis locis, quibus asteriscus * adscriptus est, eadem verba eadem versus sede atque in elegia occurrunt.

Catalepton c. IX	
v. 1 sq. Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebo, pauca mihi doctae dicite Pegasides.	*Ciris v. 93 sq. magna mihi cupido tribuistis praemia, divae Pierides. *Verg. Buc. VIII 63 dicite Pierides *Buc. X 1 sqq. Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem: pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris, carmina sunt dicenda.
v. 3 victor adest, magni magnum decus ecce triumphi.	*Culex v. 11 Latonae magnique Iovis decus, aurea proles, v. 360 omnes Roma decus magni quos suscipit orbis. Verg. Buc. V 34 tu decus omne tuis IV 11 teque adeo decus hoc aevi. Lydia v. 28 pater magni gregis et decus
v. 5 horrida barbaricae portans insignia pugnae	Cat. c. 66, 13 dulcia nocturnae portans vestigia rixae.
v. 7 sq. nec minus idcirco vestros expromere cantus maximus	c. 65, 3 sq. nec potis est dulcis Musarum expromere fetus mens animi[1])
v. 9 hoc itaque insuetis iactor magis, optime, curis.	*Verg. Aen. I 227 atque illum tales iactantem pectore curas. cf. etiam Aetna v. 24 fortius ignotas molimur pectore curas.
v. 11 namque (fatebor enim)	*Verg. Buc. I 31 namque (fatebor enim) *Ciris v. 55 nam verum fateamur

[1]) cf. Verg. Aen. II 280: *maestas expromere voces.*

	Catalepton c. V 12 nam fatebimur verum cf. etiam *Aen. IV 20 Anna, fatebor enim
v. 13 sq. pauca tua in nostras venerunt carmina chartas, carmina cum lingua, tum sale Cecropio, carmina, quae Phrygium, saeclis accepta futuris, carmina, quae Pylium, vincere digna senem	Verg. Buc. VIII 10 sola Sophocleo tua carmina digna cothurno Lucr. I 202 multaque vivendo vitalia vincere saecla III 948 omnia si pergas vivendo vincere saecla. Verg. Georg. II 295 multa virum solvens durando saecula vincit.
v. 17 molliter hic viridi patulae sub tegmine quercus	*Verg. Buc. I 1 Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi. *Georg. IV 566 Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi. *Culex v. 390 rivum propter aquae viridi sub fronte latentem
v. 19 dulcia iactantes alterno carmina versu.	Verg. Buc. II 4 sq. ibi haec incondita solus montibus et silvis studio iactabat inani V 62 voces ad sidere iactant VII 18 sq. alternis igitur contendere versibus ambo coepere, alternos Musae meminisse volebant.
v. 21 sq. certatim ornabant omnes heroida divi, certatim divae munere quoque suo.	*Ciris v. 412 certatim ex omni petiit quam Graecia regno Verg. Catalepton c. IV 5 sq. cui iuveni ante alios divi divumque sorores

	cuncta neque indigno, Musa, dedere bona.
v. 23 felicem ante alias o te scriptore puellam!	Aen. III 321 o felix una ante alias Priameia virgo!
v. 37 sq. illo quo primum dominatus Roma superbos mutavit placidis tempore consulibus	*Cat. c. 68,15 tempore quo primum vestis mihi tradita pura est. cf. *Aen. IX 80 tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
v. 39 multa neque immeritis donavit praemia alumnis	*Ciris v. 93 magna mihi cupido tribuistis praemia *Verg. Catalepton c. IV 6 cuncta neque indigno, Musa, dedere bona
v. 41 nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?	*Cat. c. 64,116 sq. sed quid ego a primo digressus carmine plura commemorem
v. 44 tam procul hac patria	*Verg. Buc. X 46 tu procul a patria
v. 47 saepe trucem adverso perlabi sidere pontum	*Cat. c. 4,9 trucemve Ponticum sinum c. 64,179 ponti truculentum ubi dividit aequor *Ciris v. 76 ipsa trucem multo misceret sanguine pontum
v. 50 communem belli non meminisse deum	*Ciris v. 358 sq. nunc tremere instantis belli certamina dicit communemque timere deum.[1]

[1] cf. Cic. Epist. ad fam. VI 4, 1: *nam cum omnis belli Mars communis et cum semper incerti exitus proeliorum sunt.* Liv. XXX 30, 20: *cum tuas vires tum vim fortunae Martemque belli communem propone animo.* Liv. XXVIII 19, 11: *ubi Mars communis et victum saepe erigeret*; cf. etiam Il. XVIII 309: *ξυνὸς Ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.*

v. 52 aurea nunc rapidi flumina adire Tagi,	Cat. c. 29,19 Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.[1]
v. 53 nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem.	*Ciris v. 364 nunc alia ex aliis (nec desunt) omina quaerit. *Verg. Georg. I 421 nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat. *Georg. III 65 atque aliam ex alia generando suffice prolem.
v. 55 non nostrum est tantas, non, inquam, attingere, laudes.	*Verg. Buc. III 108 non nostrum inter vos tantas componere lites.
v. 57 ipsa ferent rerum monumenta per orbem.	*Buc. VIII 9 en erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
v. 64 hoc satis est	*Cat. c. 68,147 quare illud satis est. *Ciris v. 455 sit satis hoc. Verg. Catalepton c. IV 11 quare illud satis est Buc. IV 54 quantum sat erit tua dicere facta *Buc. X 70 haec sat erit, divae
v. 64 pingui nil mihi cum populo.	Cat. c. 95,9 sq. parva mei mihi sint cordi monumenta sodalis, at populus tumido gaudeat Antimacho. Verg. Catalepton c. V 4 scholasticorum natio madens pingui.

[1] cf. Ov. Amor. I 15, 34
cedat et auriferi ripa benigna Tagi.

Praeterea elegiae auctor quod v. 25 sq.

non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
quae volucrem cursu vicerat Hippomenen,

mala, quibus Hippomenes Atalantam Schoenei filiam in cursu retinuit, ex Hesperidum hortis orta esse dicit, in ea re secutus esse videtur exemplum Vergilii, qui illam fabulam strictim tangit his verbis (Buc. VI 61):

tum canit Hesperidum miratam mala puellam.

Etenim cum Theocritus (III 40 sq.) malorum originem taceat, Ovidius (Met. X 644 sq.) Venerem ea ex agro Cyprio, cui nomen Tamasenus sit, decerpsisse atque Hippomeni tradidisse narrat.

Iam binae anaphorae inter se similes inveniuntur et in Ciri et in elegia. Conferas Catalepton c. IX 51 sqq.

nunc celeres Afros, periurae milia gentis,
aurea nunc rapidi flumina adire Tagi,
nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem

cum Ciris v. 358 sq.

nunc temere instantis belli certamina dicit
communemque timere deum, nunc regis amicis
362 nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
364 nunc alia ex aliis (nec desunt) omina quaerit.

Alterum anaphorae exemplum est hoc: Catalepton c. IX 47:

saepe trucem adverso perlabi sidere pontum?
saepe mare audendo vincere, saepe hiemem?
saepe etiam densos immittere corpus in hostes

et Ciris versus

172 saepe redit patrios ascendere perdita muros,
174 saepe etiam tristes volvens in nocte querelas.

Quos versus comparare licet etiam cum Georg. I
316 saepe ego, cum flavis messorem induceret arvis agricola
322 saepe etiam immensum caelo venit agmen aquarum,

atque Georg. III
409 saepe etiam cursu timidos agitabis onagros,
411 saepe volutabris pulsos silvestribus apros.

E Catullo atque Vergilio petitus est usus dicendi singularis, qui in v. 7 sq. et 16 invenitur, ubi cum adiectivis *maximus* et *dignus* infinitivus iunctus est.[1]) Catullus enim scripsit c. 68, 131 sq.:

cui tum concedere digna
lux mea se nostrum contulit in gremium[2])

atque Maronis sunt haec verba:
Buc. V 54 et puer ipse fuit cantari dignus
89 et erat tum dignus amari.

Cf. etiam
Buc. V 1 sq. boni quoniam convenimus ambo,
tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
VII 5 et cantare pares et respondere parati,
X 32 sq. soli cantare periti
Arcades.

Postremo hoc iuvabit adnotare in Catalepton c. IX 24
altera non fama dixerit esse prior

Graecorum more verbum dicendi sequi nominativum coniunctum cum infinitivo aeque atque in principio Catulliani carminis 4, ubi scripta videmus haec:

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
ait fuisse navium celerrimus.[3])

---

[1]) vide Draegerum l. c. vol. II p. 331.

[2]) cf. etiam Ciris v. 104 sq.:
quarum non ulli fama concedere digna
stat Megara.

[3]) tria huius modi exempla exstant in Aeneide, IV 305 sq.
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
posse nefas tacitusque mea decedere terra.

In enumerandis iis exemplis, quae elegiae auctori ante oculos obversata sunt, adhuc negleximus unum carmen, Laudes dico Messallae (Tib. IV 1) codicibus Tibullianis servatas, quas Tibulli non esse hodie inter omnes fere viros doctos convenit.[1] Sed priusquam ad hanc rem explanandam transeamus, cum non satis constet, quonam tempore hic panegyricus compositus sit, paucis verbis significabo, quid mihi verisimile esse videatur.

Cum ad celebrandum consulatum, quo M. Valerius Messalla Corvinus testibus fastis[2] et Cassio Dione[3] a. 723/31 functus est, panegyricum se scripsisse poeta aperte enuntiet (v. 122 sq.), hoc anno ipso carmen profectum esse consentaneum est. Ut huic tempori Laudes tribuamus, alia quoque re commovemur. Etenim poeta cum v. 106—117 eas tantum res referat, quas Messalla usque ad illius anni initium bello gessit, v. 118 ad facta futura transgressus hunc Persas et Parthos et Britannos in Romanorum dicionem redacturum esse vaticinatur.[4] Neque vero Messallae haec postea contigerunt. At pugnae Actiacae eum interfuturum et ex Gallia triumphum acturum esse silentio praeterit.[5] Quae cum ita sint, non

---

XI 503 sq.

audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae
solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.

XII 568

ni frenum accipere et victi parere fatentur;

vide Draegerum l. c. vol. II p. 446 sq.

[1] hoc carmen a Tibullo abiudicandum esse certis argumentis ostendit post alios Hugo Hartung, De panegyrico ad Messallam Pseudo-Tibulliano, diss. Halis Saxonum a. 1880.

[2] vide fastos Amiterninos (C. I. L. vol. I p. 1 edit. alt. p. 61); cf. etiam fastos Venusinos (ibid. p. 66) et Cuprenses (ibid. p. 62).

[3] vide prooem. libr. L et LI (vol. II p. 324. 352 Boiss.).

[4] cf. Fridericum Hankel, De panegyrico in Messallam Tibulliano, diss. Lips. a. 1874 (= Act. soc. philol. Lips. tom. V a. 1875) p. 53.

[5] vide Hankelium l. c. p. 52.

tota Messallae vita scriptori cognita fuit. Iam sententiarum verborumque similitudo, quae intercedit inter panegyricum et Tibulli carmen natalicium ad Messallam autumno anni 727/27 scriptum (I 7), non ea esse mihi videtur, ut cum Hartungio[1] panegyrici auctorem carmen Tibullianum ante oculos habuisse statuamus.

Huius poematis apertissimam imitationem et in argumento eiusque dispositione et in elocutione prae se fert elegia libro Catalepton inserta. Quae quanta sit, cum adhuc nemo quod sciam continenti commentatione exposuerit, de hac re fusius disputare non alienum existimo.

Pariter atque Vergilii Ecloga IV, qua salutatur nascitura proles Octaviani et Scriboniae[2], aut Tibulli carmina genethliaca missa ad Messallam (I 7) Cornutumque (II 2) aut eiusdem elegia in honorem Messalini quindecimviri condita (II 5) referendae sunt Laudes Messallae et elegia libelli Catalepton in numero laudationum earum, in quibus componendis in usum vocari solebant artis rhetoricae praecepta de genere demonstrativo, qualia inter alios Auctor qui vocatur ad C. Herennium nobis tradidit.[3] Quod valet praecipue in materiae dispositionem. Ille enim scriptor docet de prooemio haec (III 11): *Principium sumitur aut ab nostra aut ab eius, de quo loquemur, aut ab eorum, qui audient, persona aut ab re .... ab eius persona, de quo loquemur, si laudabimus: vereri nos, ut illius facta verbis consequi possimus; ⟨omnes⟩ homines illius virtutes praedicare oportere; ipsa facta omnium laudatorum eloquentiam anteire.* Secundum hoc praeceptum utrum-

---

[1] l. c. p. 29 sq. et 36 sqq.

[2] hoc quod primus quantum scio contendit Boulacre vir doctus Francogallus in *Bibliothèque Françoise* vol. XXVIII p. 243 (cf. Heynium in Vergilii oper. edit. quart. vol. I a. 1830 p. 127) nuperrime probavit atque stabilivit Franciscus Skutsch, *Aus Vergils Frühzeit* p. 148 sqq.

[3] vide quod monuit Fridericus Marx in encycl. reali ed. a Georgio Wissowa vol. I p. 1326.

que carmen orditur a Messalla, qui celebretur, atque ad hoc vires suas vix aptas esse confitetur poeta. Iam ne in divisione quidem argumenti praeceptum illius rhetoris neglectum est. Legis enim haec (III 13): *divisione hac utemur: . . . exponere oportebit animi virtutes aut vitia; deinde commoda aut incommoda corporis aut rerum externarum, quomodo ab animo tractata sint, demonstrare.* Itaque panegyrici scriptor postquam v. 39—44 materiam divisit, priore capite Messallam ut insignem oratorem (v. 45—81) et ducem (v. 82—117) laudat, altero autem (v. 118—176) vaticinatur, quas res praeclaras ille gesturus sit. Simili modo res se habet in elegia, cuius v. 13—18 Bucolica a Messalla composita summis laudibus efferuntur, atque v. 39—54 ea facta, quae ille eiusque gens egregie fecerunt, paucis explanantur. Diligentem artis rhetoricae discipulum se praebet elegiae poeta etiam in singulis quas laudat rebus. Ex Auctore enim ad Herennium comperimus haec (III 10): *Laus igitur potest esse rerum externarum, corporis, animi. Rerum externarum sunt ea, quae casu aut fortuna secunda aut adversa accidere possunt: genus, educatio, divitiae, potestates, gloriae, civitas, amicitiae . . . Corporis sunt ea, quae natura corpori adtribuit, commoda aut incommoda: velocitas, vires, dignitas, valetudo . . . Animi sunt ea, quae consilio et cogitatione nostra constant: prudentia, iustitia, fortitudo, modestia.* Ex his bonis externis atque animi virtutibus celebrantur *genus* pan. v. 28—32 et eleg. v. 39 sq., *gloriae* pan. v. 106 sqq. et eleg. v. 47 sq. 51 sqq., *vires* pan. v. 82 sqq. et eleg. v. 41 sqq., *valetudo* eleg. v. 45 sq., *iustitia* pan. v. 45 sqq. et eleg. v. 43 sq., denique *fortitudo* pan. v. 98 sqq. et eleg. v. 49 sqq. 53 sq.

Sequitur conclusio, de qua Auctor ad Herennium haec docet (III 15): *Conclusionibus brevibus utemur, ⟨enumeratione ad exitum causae; in ipsa⟩ causa crebras et breves amplificationes interponemus per locos communes.* Itaque in utroque carmine locus communis adhibitus est, cum

poeta se Messallam digne laudare valere similiter atque in prooemio neget; et cum panegyrici auctor (v. 180) Valgium, quem alterum Homerum nominat, ad illud munus exsequendum multo aptiorem esse quam se confiteatur, elegiae poeta (v. 61) non audet se comparare cum Callimacho Cyrenensi.

Utrumque carmen congruere videmus etiam in digressionibus admissis. Etenim panegyrista postquam in capitis principalis initio Messallae eloquentiam cum Nestore sene atque cum callido Ulixe contulit, huius errores multis verbis explanat v. 54—81; porro quod v. 137 sq. Messallam omnes terrae populos debellaturum esse praedixit, hac re commovetur, ut quinque orbis zonas v. 151—174 fuse describat. Simili modo elegiae capiti priori (v. 25—38) inserta est enumeratio earum heroidum, quae famam puellae Bucolicis laudatae a Messalla adaequare non possunt.

Ut in utroque carmine materia consimili ratione disposita est, ita singulorum membrorum ambitus mirum in modum sibi respondent. Quinta enim versuum pars continet prooemium divisionemque, panegyrici v. 1—44, elegiae v. 1—12. Iam capita principalia discreta sunt in bina membra, quorum priora habent maiorem ambitum. Versus qui sunt reliqui, sexta fere pars omnium, praebent conclusionem. Quod ex tabula adposita dilucide cognoscere licet:

	panegyricus	elegia
1. prooemium et divisio	1—44 i.e. 44 versus	1—12 i.e. 12 versus
2. principale caput	45—176 i.e. 133 „	13—54 i.e. 42 „
a) membrum prius	45—117 i.e. 74 „	13—38 i.e. 26 „
digressio	54—81 i.e. 28 „	25—38 i.e. 14 „
b) membrum alterum	118—176 i.e. 59 „	39—54 i.e. 16 „
3. conclusio	177—211 i.e. 35 „	55—64 i.e. 10 „

Duo quoque alia ornamenta rhetorica, quae poetae in Messallae familiaritate versati valde colebant, Vergilius vero rarissime admisit, in utroque carmine absurde et immoderate inveniri breviter adnotare satis habeo: anaphoram dico et eam figuram, qua extremum versus vocabulum in eundem sonum cadit atque id, quod ante caesuram positum est. Unum autem singulare anaphorae genus seorsum commemorem. Quisquis enim condidit elegiam, eam quam collocavit in quinto pede vocem in versus subsequentis primo repetivit duobus locis hisce:

v. 13 sq. pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
carmina cum lingua, tum sale Cecropio,
et 38 sq. multa neque immeritis donavit praemia alumnis,
praemia Messalis maxima Poplicolis.

Huius modi anaphoram adhibuit Catullus quoque usus et ipse carminis voce (c. 64, 321 sq.):

talia divino fuderunt carmine fata,
carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas.[1])

Iam deinceps cum argumentum elegiae adcurate percenseamus, dilucide cognoscimus sententiarum verborumque maiorem partem panegyrici scriptorem iam ante usurpavisse. Etenim quod poeta in elegiae prooemio Musas precatur, ut dictent sibi carmina, quae Apollini sint cognita, atque v. 59 sq. Phoebum et Musas, Bacchum et Gratias Messallae Bucolica finxisse enuntiat, similia legimus in pan. v. 178

ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.

---

[1]) hanc raram figuram invenimus in Catulli hexametris et distichis praeter locum supra adlatum sexies (64, 61 sq. 132 sq. 186 sq. 259 sq. 403 sq. 66, 75 sq.), in Ciri semel (v. 372 sq.), in Culice octies (v. 124 sq. 132 sq. 217 sq. 229 sq. 231 sq. 245 sq. 275 sq. 348 sq.), in Vergilii Bucolicis ter (VII 2 sq. VIII 49 sq. IX 27 sq.), in Aeneide bis (II 405 sq. IX 116 sq.), in Diris quater (v. 2 sq. 35 sq. 48 sq. 80 sq.); vide quae composuit Rudolfus Helm, De metamorphoseon Ovidianarum locis duplici recensione servatis, *Festschrift für Johannes Vahlen zum siebenzigsten Geburtstag*, Berol. a. 1900 p. 359 sq.

Porro cum pan. v. 8 sqq. variae et obscurae fabulae adferantur, quibus ne deos quidem parva munera aspernatos esse demonstratur, Messalla adulationis causa componitur, ut ita dicam, cum Phoebo atque Hercule. Alterius autem carminis auctor triumphatorem parum apte confert cum Diomede et Eryce v. 6

magnus ut Oenides utque superbus Eryx,

ubi id potissimum animadvertendum est, et Herculem Alcei nepotem et Diomedem Oenei nepotem nomine patronymico ab avo ducto adpellari.[1])

Iam illud exemplum petitum a Nestore, quo panegyrista bis usus est, primum v. 48 sqq., ut Messallae eloquentiam insigni laude celebraret, tum v. 112, ut Arupinates praedicaret, similiter occurrit in elegiae versu 16, ubi triumphatoris Bucolica digna dicuntur, quae Pylium senem aetate vincant.[2])

Elegiae poeta panegyrico usus esse videtur etiam iis locis (v. 9 sq. et 55 sq.), quibus Valerium Messallam dignis laudibus ornare difficile esse profitetur. Quisquis enim composuit panegyricum, v. 1—17, 24—27, 177 sq., 197—203 identidem valde dubitare se ait, utrum ad hoc faciendum vires infirmae valeant necne. Atque ut pan. v. 178 ne Apollinem quidem huic operi sufficere legimus, ita alterius carminis scriptor egregia Messallae facta adsequi laudatione non suum, vix hominum esse concedit. Quibus in versibus singulos hos orationis flosculos inter se similes adnotem:

---

[1]) in adhibendis nominibus patronymicis, ut speciem doctrinae prae se ferat, elegiae poeta valde sibi placere videtur. Etenim v. 27 Helenam adpellat Tyndarida et v. 33 Danaen filiam Acrisii, qui ab Inacho primo Argorum rege originem duxit, Inachida Acrisionen; cf. Il. XIV 319

οὐδ᾽ ὅτε περ Δανάης καλλισφύρου Ἀκρισιώνης.

[2]) cf. etiam C. Valgii Rufi elegiae fragmentum, quod supra p. 38 adn. 6 adtuli.

Catalepton c. IX	Tib. IV 1
v. 11 sq. quae maxima deterrendi debuit, hortandi maxima causa fuit.[1]	v. 1 sq. Te, Messalla, canam, quamquam tua cognita virtus terret
v. 55 non nostrum est tantas, non inquam attingere laudes.	*v. 177 non ego sum satis ad tantae praeconia laudis. *v. 35 convenientque tuas cupidi componere laudes. *v. 38 ut nostrum tantis inscribam nomen in actis. v. 106 at non per dubias errant mea carmina laudes.
v. 61 sq. si laudem aspirare humiles ... possumus.	v. 4 humilis tantis sim conditor actis.
v. 64 hoc satis est.	v. 7 est nobis voluisse satis.

Huc accedit quod in utroque carmine Messallam et in foro iudicem et in castris ducem egregiam operam navavisse narratur:

Catalepton c. IX	Tib. IV 1
v. 43 castra foro, ⟨te⟩ castra urbi praeponere castra[2])	v. 39 nam quis te maiora gerit castrisve forove?

Tum elegiae v. 47 sqq., quibus Messallarum fortis atque audax animus laudatur, pendere videntur ex imitatione panegyrici v. 193 sqq.:

Catalepton c. IX	Tib. IV 1
v. 47 sq. saepe trucem adverso perlabi sidere pontum, saepe mare audendo vincere, saepe hiemem?	v. 193 sq. pro te vel rapidas ausim maris ire per undas, adversis hiberna licet tumeant freta ventis,

¹) cf. Cic. De orat. I 258 *vereor ne maiorem vim ad deterrendum habuerit quam ad cohortandum.*

²) sic restituit hunc versum Buechelerus in mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 516 sq.

v. 49 saepe etiam densos immittere corpus in hostes.[1])	v. 195 sq. pro te vel densis solus subsistere turmis vel parvum Aetnaeae corpus committere flammae.

Neque id mentione indignum videtur utroque loco in usum vocatam esse anaphorae figuram.

Iam elegiae poeta quod v. 51 sq. in perscribendis gentibus iis, quas Messallae subiecerunt, primum enumerat Afros celeres atque Hispanos, in ea re ante oculos habuisse videtur pan. v. 137 sqq.:

non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia nec latis audax Hispania terris
nec fera Theraeo tellus obsessa colono.

Atque dicendi usus is, quo in elegiae v. 52 Hispani bello petiti Tago flumine rapido significantur, similiter occurrit in pan. v. 140 sqq., ubi ut testes victoriarum, quas Iovem Messallae consulatum ineunti praenuntiavisse poeta fingit, enumerantur rapidus Gyndes ceteraque flumina earum terrarum, quas ille bellis persecuturus sit. Neque aliter res se habet in elegiae v. 54

vincere et Oceani finibus ulterius,

quo poeta veritatem egressus Messallae maiores ultra Oceani fines, i. e. in Britannia victorias peperisse praedicat.[2]) Etenim simili ratione illis fluminibus Oceanus et Britannia adduntur pan. v. 147 sqq.:

quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
te manet invictus Romano Marte Britannus.

¹) ct. Cic. Tusc. I 116: *Codrum commemorant, qui se in medios immisit hostes veste famulari*; Ov. Her. II 133

hinc mihi suppositas immittere corpus in undas.

²) Britanniam extra totum terrarum orbem, qui Romanis tum notus erat, sitam esse indicat Vergilius quoque Buc. I 66

et penitus toto divisos orbe Britannos.

Iam ut panegyrista, qui hexametros scribit, Homeri carmina virtute adsequi se non valere confitetur v. 200

posse Meleteas nec mallem vincere chartas,

ita poeta carminis elegiaci v. 61 sq.:

si laudem aspirare humilis, si adire Cyrenas,
si patrio Graios carmine adire sales
possumus,

versus suos Callimacheis aequiperare non audet. Atque hac in re id memoratu dignum est et Homerum et Callimachum nomine ex originis loco petito notatos esse. Namque illius carmina a Melete Ioniae fluvio adluente oppidum Smyrnam, ad cuius fontem Homerus poemata fecisse traditur[1], chartas Meleteas[2]) adpellari vides, pro nomine autem Callimachi commemoratur huius patria urbs Cyrenae.

Iis quos adhuc adtuli locis addere iuvabit hosce elegiae et panegyrici versus inter se similes:

Catalepton c. IX	Tib. IV 1
v. 3 magni magnum decus ecce triumphi.	*v. 32 quam tibi maiores maius decus ipse futuris. *v. 49 Nestora vel parvae magnum decus urbis Ulixen.
v. 13 pauca tua in nostras venerunt carmina chartas.	*v. 27 nec tanto careat mihi carmine charta. *v. 211 inceptis de te subtexam carmina chartis.
v. 19 dulcia iactantes alterno carmina versu.	*v. 34 aeterno sed erunt tibi magna volumina versu.
v. 24 altera non fama dixerit esse prior.	v. 180 aeterno proprior non alter Homero.

[1]) vide Paus. VII 5, 12. Meletis filium Homerum fuisse narrat Plutarchi quae fertur vita Homeri 2.

[2]) Homeri poemata dicuntur *chartae Maeoniae* in Ciris v. 62
sed neque Maeoniae patiuntur credere chartae.

v. 56 quin ausim hoc etiam dicere.	*v. 12 quin etiam Alcides. *v. 126 quin rapidum placidis etiam mare constitit undis. *v. 174 quin etiam structis exsurgunt oppida muris. *v. 204 quin etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa.
v. 41 nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?	*v. 39 nam quis te maiora gerit castrisve forove?
v. 57 ipsa ferent rerum monumenta per orbem.	*v. 50 dum terna per orbem. *v. 159 aestivum fertur in orbem.
v. 58 ipsa sibi egregium facta decus parient.	v. 175 ergo ubi praeclaros poscent tua facta triumphos.

Postremo hoc adnotem ex vocibus iis, quae in elegia bis saepiusve repetitae sunt[1]), in panegyrico, cuius ipsius quoque maxima verborum inopia est propria, has occurrere: *carmen* v. 3. 27. 106. 178. 211; *magnus* vel *maior* v. 6. 18. 29. 32 (bis). 34. 39. 40. 49. 68. 81. 118. 135. 176. 179. 183. 199; *doctus* v. 61. 208; *vincere* v. 31. 57. 107. 200 (cf. *victor* v. 37, *victoria* v. 105).

His quae singillatim explicavimus, satis superque arbitramur demonstratum esse, ut paucis comprehendamus, elegiam ad M. Valerium Messallam a Vergilio abiudicandam esse. Similitudinem autem, quae intercedit inter hoc carmen atque panegyricum quod fertur Tibulli duplici modo explicare possumus. Namque aut unus idemque poeta mediocris primum a. 723/31 celebravit Messallae consulatum panegyrico atque perpaucis annis post ad huius ipsius exemplum composuit frigidam elegiam, ut Messallae triumphum ex Gallia actum laudibus ornaret; aut, id quod mihi quidem placet, haec carmina a diversis poetis facta sunt ita, ut alter pendeat ex alterius imitatione.[2])

[1]) vide supra p. 42.

[2]) eandem opinionem prompsit Birtius l. c. p. 95 sqq. et 184.

2.

Iam ut pergamus ad Catalepton c. XIII, hanc epodum obscoenissimam non a Vergilio scriptam esse plerique recte consentiunt. Quam opinionem primus nisi fallor Scaliger professus est scribens haec[1]): *quod non ausim Vergilio adtribuere, licet elegans et eruditum. videtur enim secundum aetatem Augusti scriptum fuisse.* Heynius autem, ut eius quoque verba ipsa adscribam[2]), *Catullo potius quam Virgilio dignum carmen* esse censet. Iam Naekius[3]), Hertzbergius[4]), Baehrensius[5]) hoc poemation a poeta Mantuano abiudicaverunt. Sed Ribbeckius[6]) epodi auctorem esse suspicatur Furium Bibaculum Cremonensem, qui anno fere 655/99 natus carmina maledicentia in adversarios fundere circa a. 736/18 nondum destituerit, id quod eluceat e versibus in Orbilium et Catonem grammaticos scriptis[7]). Reliqua est Vollmeri[8]) opinio, qui etiam hanc epodum poetae Mantuano adscribere nequaquam dubitat[9]).

Quominus Catalepton c. XIII Vergilio tribuamus, his potissimum argumentis impedimur. Primum quidem id, quod auctor in carminis prooemio de se narrat:

Iacere me, quod alta non possim, putas,
ut ante vectari freta
nec ferre durum frigus aut aestum pati
neque arma victoris sequi?

---

1) Appendix Vergiliana p. 490.
2) Vergilii opera ed. quart. vol. IV p. 349.
3) Carmina Valerii Catonis p. 234.
4) in carmin. Verg. versione German. vol. II p. 109 et 114.
5) Poet. lat. min. vol. II p. 34.
6) Appendix Vergiliana ed. a. 1868 p. 7 sq.
7) hos adfert Suetonius De grammaticis et rhetoribus 9. 11 (p. 107 et 109 Reifferscheid); cf. etiam Baehrensium, Fragm. poet. Rom. p. 317 sq.
8) act. acad. Bavar. a. 1907 p. 345.
9) Birtius quoque l. c. p. 142 sqq. argumenta levissima adtulit, ut hoc carmen Vergilii ipsius esse ostenderet.

minime congruit cum memoria ea, quam habemus de Vergilii vita. Neque enim unquam hic proelio interfuit neque per mare vectus est excepto eo itinere, quod extremo vitae anno in Graeciam fecit. Etenim quod Horatius carmine propemptico (C. I 3 *Sic te diva potens Cypri*) scripto ante annum 731/23 precatur, ut Vergilii iter bene eveniat navisque hunc ipsum incolumem ad Atticam vehat, profectionis consilium Maro cepisse, sed paulo post abiecisse videtur[1]).

Tum vix credibile fit poetam Mantuanum, postquam mollia atque faceta carmina Bucolica et Georgica edidisset, a. 725/29 vel paulo post, quo tempore epodum compositam esse infra cognoscemus, acerbissimos et mordaces iambos fudisse.

Quod vero ad rem metricam adtinet, hoc carmen longe dissentit a ceteris libelli Catalepton. Namque praeter distichon iambicum, quo c. XIII conclusum esse videmus, omnia metra in Catulliano quoque libro inveniuntur. Hoc quoque adnotare iuvabit elisionem gravem, qua corripitur ablativus *qua* in v. 6, ubi *qua adsignem* scribendum esse cum Buechelero consentio[2]), neque in Vergilii poematis maioribus neque in libro Catalepton unquam occurrere non magis quam synaloepham ablativi *quo*[3]).

Quis sit epodi auctor, brevi abhinc tempore Geyza Némethy ampla quaestione persecutus coniecturam valde miram protulit. Hic vir doctus commentatione *De epodo Horatii Cataleptis Vergilii inserto,* quam in consessu academiae litterarum Hungaricae mense Martio anni 1908

---

1) vide quae exposuit Lucianus Mueller in Horat. carm. edit. vol. I (Petropol. et Lips. a. 1900) p. 136 sq.
2) Vollmerus in Poet. lat. min. edit. vol. I p. 139 hunc, qui in codicibus depravatus est, versum sic restituendum esse coniecit:
et lingua qua affigam tibi.
3) vide quae exposuit Eduardus Norden, *P. Vergilius Maro, Aeneis Buch VI,* Lips. a. 1903 p. 446.

recitavit atque Budapestini edidit eodem anno, ostendere conatur Horatium id carmen composuisse, priusquam amicitiam cum Maecenate iniisset, i. e. ante annum 718/38 ita, ut illud in primis poetae epodis referendum sit. Neque vero Horatius ipse in lucem edidit hanc epodum, ut Némethyo videtur, sed misit ad Vergilium amicum, e cuius scriptis relictis postea casu inserta illa est libello Catalepton. Quod quo iure Némethyus statuerit, iam singillatim examinemus.

Proficiscitur ille a forma metrica docens (l. c. p. 3), cum trimeter iambicus iunctus cum dimetro non adhibitus sit nisi ab Horatio, eundem hanc quoque epodum libelli Catalepton condidisse. At quamquam Horatius illud metrum in Romanorum poesin se induxisse recte gloriatur[1]), tamen carmina ad unum omnia, quae illius aetate scripta distichon iambicum praebent, huic uni poetae adscribere sane temerarium est. Quidni alius poeta Horatii exemplum secutus illo tempore epodum composuerit aeque atque postea idem metrum in usum vocaverunt L. Annaeus Seneca philosophus in Medeae v. 771—786, D. Magnus Ausonius[2]), Aurelius Prudentius Clemens[3]), Meropius Pontius Anicius Paulinus[4]), alii?

Iam opinioni suae favere Némethyus arbitratur (l. c. p. 3) miram similitudinem, quae intercedat inter epodi principium supra adscriptum atque Horatii C. II 6, 5—8:

---

[1]) Epist. I 19, 23 sq.:

Parios ego primus iambos
ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.

[2]) Parental. 15 p. 48. Commemor. Profess. Burdig. 3. 5. 6. 27 p. 57 sqq. Epist. XV p. 173 sq. XXII 2 p. 184 sq. Epigr. XVI. XXIII. XXIV. XLVI. LXIII p. 200 sqq. Schenkl.

[3]) Praefat. apotheos. p. 81 sq. Dressel.

[4]) c. XXIV (= Corpus script. ecclesiast. latin. vol. XXX tom. 2 ed. W. Hartel, Vindobonae a. 1894 p. 206 sqq.)

Tibur Argeo positum colono
sit meae sedes utinam senectae,
sit domus lasso maris et viarum
militiaeque.

Neque vero hoc cuiquam probari credo, cum nulla fere sit sententiarum congruentia. At id per se constat principium carminis XIII pertinere ad hominem senectute et valetudine adfectum, qui aliquanto ante hanc epodum scriptam multa maris itinera susceperit atque in bellis summos labores passus sit[1]). Itaque ne potest quidem hos versus scripsisse Horatius, qui tum, cum iambos facere incipiebat, iuvenis viginti quinque annorum erat.

Longius a veritate Némethyus (l. c. p. 16 sqq.) aberravisse videtur etiam in ea re, quod v. 3 sq. bellum Philippense intellegendum esse atque verba *arma victoris* ad M. Iunium Brutum spectare contendit. Sed enim quamquam Brutus C. Antonium vicit, Macedoniam occupavit[2]) suoque cornu in priore pugna ad Philippos commissa adeptus est victoriam de Octaviano[3]), tamen Horatius inepte absurdeque illum nominavisset victorem, postquam eius exercitus altero proelio Philippensi ad internecionem deletus est ipseque turpiter mortem sibi conscivit. Certe quidem ab hac diversa est ea ratio, qua Horatius belli Philippensis ioculatus meminit locis notissimis hisce:
C. II 7, 9 sqq.

tecum Philippos et celerem fugam
sensi, relicta non bene parmula,
cum fracta virtus, et minaces
turpe solum tetigere mento,

et C. III 4, 25 sq.

vestris amicum fontibus et choris
non me Philippis versa acies retro . . .

---

[1]) cf. etiam v. 5
valent valent mihi ira et antiquus furor.

[2]) cf. Cass. Dio. XLVII 23 sqq. Plut. Brut. 28.

[3]) Suet. Aug. 13.

quibus addas Epist. II 2, 49 sq.

unde simul primum me dimisere Philippi,
decisis humilem pinnis.

Iam ut Némethyus epodi prooemium recte interpretetur atque poeta Bruti partes se sequi vel secutum esse enuntiet, huic rei repugnat versus 9, quo adversarium in communi hominum fama ab Octaviano censore notatum iri legimus. Etenim Caesarem Octavianum, non Caesarem dictatorem intellegendum esse illi adsentiamur oportet. Si hoc verum est, Némethyus falso iudicat ratus epodum a. fere 714/40 vel proximo compositam esse. Immo cum anno demum 723/31 proelio ad Actium commisso Octavianus rerum potitus sit atque inde ab a. 712/42 nullo populi censu habito primum testibus Cassio Dione[1]) et Monumento Ancyrano[2]) annis 725/29 et 726/28 censum egerit, carmen conditum esse non potest nisi post hunc annum aut fortasse paulo ante, cum iam censum ab Octaviano habitum iri constaret[3]).

Porro doctus ille vir sententiam suam permiram fulcire studet docens (l. c. p. 4) Horatium ipsum sibi aperte tribuisse hoc carmen his quae scripta videmus Epod. XVII 56 sqq. verbis Canidiae ad poetam:

inultus ut tu riseris Cotytia
volgata, sacrum liberi Cupidinis,
et Esquilini pontifex venefici
impune ut urbem nomine impleris meo?

---

[1]) LII 42 et LIII 1.

[2]) lat. II 2; vide Theodorum Mommsen, Res gestae divi Augusti, Berol. a. 1883 p. XLVI et *Römisches Staatsrecht* vol. II fasc. 1 edit. alt. (Lips. a. 1887) p. 337.

[3]) hanc sententiam protulit iam Buechelerus in mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 519; cf. etiam Caietanum Curcio, *Poeti latini minori* vol. II fasc. 1 p. 12 sq.; sed aliter iudicat Birtius l. c. p. 144 sqq. docens Vergilium iuvenem fecisse hos versus haud ita multo post a. 706/48 ita, ut non Caesar Octavianus, sed C. Iulius Caesar dictator intellegendus sit.

Etenim ut Horatius v. 58 sq. spectet ad libri prioris satiram octavam, qua veneficium Esquiliis nocte actum a Canidia eiusque sociis aperuerit, ita duos versus antecedentes referendos esse ille contendit ad Catalepton c. XIII 19 sqq., ubi Cotytus mysteria derideantur atque vulgentur sic:

non me vocabis spurca per Cotytia
  ad feriatos fascinos,
nec te movere lumbulum in crocotula
  prensis videbo altaribus.

Sed multo probabilior videtur editorum explicatio, qui Epod. XVII 56 sq. ad quintam epodum Horatianam pertinere adnotant. Namque hoc carmine poeta castigavit impudicae Canidiae saevum atque atrox scelus, quod haud inepte comparatur cum foedissimis sacris in Cotytus honorem per noctem factis. At vero in Catalepton c. XIII Canidiae nequaquam mentio fit. Iam cum nullum testimonium exstet, unde Romanos illius deae Thraciae sacra a Graecis recepisse atque coluisse eluceat, vocabulum Cotytiorum ab Horatio translative positum est pariter atque postea ab Iuvenale, qui fecit haec verba (Sat. II 91 sq.):

talia secreta coluerunt orgia taeda
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytun.[1])

Quodsi res sic se habet, poetam carminis XIII illud exemplum a Cotytiis petitum ex Horatiana epodo XVII mutuatum esse statuamus oportet.

Etiam altero loco Horatium memoriam huius carminis excitavisse Némethyus (l. c. p. 5 sq.) perperam suspicatur, dico Sat. I 8, 37 sqq.:

---

[1]) vide quae monuit Georgius Wissowa, *Religion und Kultus der Römer*, Monach. a. 1902 p. 315 adn. 7: *Die Erwähnung der spurca Cotyttia bei Vergil. catal. 5, 19* [i. e. XIII 19] *u. Hor. epod. 17, 56 sind rein litterarischer Natur und gehen ebensowenig auf römische Verhältnisse wie Iuv. 2, 92.*

mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum
Iulius et fragilis Pediatia furque Voranus.[1])

Porphyrionis commentatoris adnotatio ad versum extremum est haec[2]): *Pediatius eques Romanus honesto patrimonio consumpto etiam castitatem oris amiserat et indulgentia parentum mollis evaserat, ut omnem libidinem cum voluptate pateretur. Propter quod eum Horatius feminino nomine Pediatiam, non Pediatium appellavit; ob eandem causam et fragilem dixit, i. e. mollem.* Hunc Pediatium esse illum adversarium, qui epodo inserta libello Catalepton mordaciter castigetur, colligit Némethyus ex ea re, quod cum opprobriis et maledictis in eum fusis sane concinant ea, quae Porphyrio de Pediatio referat. At quamquam alter cum alterius moribus atque natura aliquantum congruit, tamen critici Hungarici opinationem nemini adrisuram esse duco, praesertim cum in duabus futilibus coniecturis posita sit. Primum enim pro Porphyrionis verbis *castitatem oris*[3]) *amiserat* scribendum esse censet *castitatem sororis vendiderat.* Tum depravatum epodi versum 35, ubi traditur codice Bruxellensi *cine delucci iam te liquerunt opes*, codicibus Helmstadiensi et Monacensi *cinae dulcissimam* (*dulucissimam* H) *et liquere opes*, codicibus Arundeliano et Rhedigerano *cune dulcissima* reliquis omissis, restituendum esse contra omnem probabilitatis speciem contendit ille sic: *cinaede Pediati, tuae liquere opes.* Vide quantum haec sordeant prae iis, quae Buechelerus[4]) sagaciter proposuit

[1]) hunc versum, cuius principium haud dubie mutilatum est, Némethyus l. c. p. 6 sic emendandum esse coniecit:

helluo vel fragilis, Pediatia, furve Voranus.

[2]) vide Pomponii Porfyrionis commentum in Horatium Flaccum rec. Alfredus Holder, Ad Aeni Pontem a. 1894 p. 274.

[3]) sed Némethyus scribit *moris.*

[4]) mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 520.

ratus hac epodo eundem hominem notari atque Catalepton c. VI et XII:

cinaede Luciene, liquerunt opes.

Quod si verum est, adversarius impudicus et superbus carminibus VI et XII tempore prioribus lepide et salse adpellatur nomine commenticio Noctuinus, quae vox a nocte derivatur, sed verum nomen ductum a lucis vocabulo epodus praebet. Quod significat, ut Buechelero videtur, versus 34

et nomen (sc. verum) adscribo tuum.

Iam carmina XII et XIII concinunt etiam in fescennina locutione *thalassio*, quippe quae in illo (v. 9) ter adhibita sit, in hoc (v. 16) bis. Tamen hanc quam Buechelerus prompsit coniecturam, quamvis sagax sit, non omnibus placere duco. Immo is, qui carpitur, non fuit Lucienus, sed cinaedus Luccius, quod satis dilucide adparet e v. 35, quem in codice Bruxellensi sic traditum esse proxime adnotavimus:

cine delucci iam te liquerunt opes.

In Luccium igitur quendam factum est Catalepton c. XIII.[1]) Sed quisnam eius auctor sit, non iam scimus. At certe ut Vergilius aut Horatius componeret hanc epodum lascivam, factum esse non potest. Eum autem, qui scripsit c. XIII, epodos Horatianas optime novisse atque in elocutione materiaque obscoena aperte imitatum esse Némethyus adnotationibus, quibus instruxit carmen (l. c. p. 15sqq.), perspicue demonstravit.

[1]) ob offensiones acerbas et sordium plenas, quae inferuntur Luccio, hunc re vera non vixisse, sed personam esse fictam putat Alfredus Koerte in *Wochenschrift für klassische Philologie* a. 1909 p. 294.

3.

Sequitur ut paucis verbis significem, quid de Catalepton c. XIV sentiam. Cum critici plerique hoc epigramma datum ad Venerem Vergilio adtribuere minime dubitaverint[1]), Heynius[2]) atque Buechelerus[3]) in contrarium disputaverunt. Quorum iudicium pro recto habendum esse mihi quoque videtur.

Ex ea enim re, quod Aeneidem ad finem non ductum iri aperte indicatur (v. 1 sq.), quam ob causam pro ea feliciter absolvenda votum sollemne Veneri suscipitur, dilucide sequitur, ut epigramma ante Vergilii mortem compositum non sit. Iam cum Caesarem ipsum ad litus Surrentinum pro Veneris templo facere votum publicum legamus, haec disticha composuisse probabile est non Maronem ipsum, sed poetae amicum vel Aeneidis admiratorem, qui scholastico more usus illius personam induerit. Quicumque is fuit, fortasse respexit aedem Veneris eam, quae titulo Surrentino[4]) commemoratur.

Huic opinioni id quoque favere videtur, quod nonnulli orationis flosculi petiti e Georgicis et Aeneide in hoc brevissimo carmine recurrunt.[5]) Sunt hi loci:

Catalepton c. XIV	Vergilii
v. 1 Si mihi susceptum fuerit decurrere munus.	*Georg. II 39 tuque ades inceptumque una decurre laborem.
v. 3 Troius Aeneas.	*Aen. I 596 Troius Aeneas.
v. 3 Romana per oppida digno.	*Georg. II 176 Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.

[1]) hanc sententiam proxime denuo defenderunt Vollmerus in act. acad. Bavar. a. 1907 p. 345 adn. 3 et Birtius l. c. p. 163 sqq.

[2]) Vergilii opera ed. quart. vol. IV p. 354 sq.

[3]) mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 523 sq.

[4]) C. I. L. X 688.

[5]) vide Buechelerum l. c. p. 523 sq.

v. 7 sq. et maxima taurus victima.	*Georg. II 146 sq. et maxima taurus victima.
v. 9 sed mille coloribus ales.	*Aen. V 609 illa viam celerans per mille coloribus arcum.
v. 10 adsis, o Cytherea.	*Georg. I 18 adsis, o Tegeaee.

His addere iuvabit Aen. I 415 sqq.:

> ipsa Paphum sublimis abit sedesque revisit
> laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo
> ture calent arae sertisque recentibus halant.

Qui versus scriptori carminis XIV ob oculos versati esse videntur, cum et in illis et in hoc substantiva *Paphus*[1]) (c. XIV 2), *sedes* (v. 2), *templum* (v. 5), *tus* (v. 5), *ara* (v. 12), *serta* (v. 6) mirum in modum coniuncta inveniantur.

Denique *Paphus*, *Idalia*, *Cythera* aeque atque in hoc epigrammate (v. 2 et 10) coniuncta reperiuntur Aen. X 51 sq.:

> est Amathus, est celsa Paphus atque alta Cythera
> Idaliaeque domus

et X 86:

> et Paphus Idaliumque tibi, sunt alta Cythera.

Iam quod adtinet ad artem metricam, Vergilius si hoc carmen scripsisset non multo tempore ante Aeneidem confectam, id quod plerisque videtur[2]), certe se proniorem praebiturus fuisse censendus est ad novum versus componendi modum eum, quem Tibullus et Propertius moverunt.[3]) Etenim cum hi in pentametri fine bisyllabum ponere soliti sint, epigrammatis duo pentametri (v. 6. 10) cadunt in trisyllabum,

[1]) Vergilius Graecam formam *Paphos* nunquam usurpavit.

[2]) Birtius l. c. p. 172 Vergilium fecisse contendit c. XIV, dum occupatus esset in Aeneide componenda, sed priusquam ad finem perduxisset eius librum quintum.

[3]) vide Buechelerum l. c. p. 524.

unus (v. 2) voce quattuor syllabarum terminatur, reliqui tres (v. 4. 8. 12) habent bisyllabum in ultima versus sede.[1]) Huc accedit, quod pentametri parti priori quater (v. 4. 6. 10. 12) est haec forma illa aetate inusitata — — — — —.

Quae cum ita sint, Tibulli[2]) vel Ovidii aequalem postquam vatis Mantuani grandia poemata magna cum admiratione legisset, huius dictionem imitatum finxisse carmen XIV cum Buechelero statuamus.

---

[1]) quamquam in ceteris libelli Catalepton pentametris, qui sunt Vergilii, hanc Tibulli et Propertii elegantiam non inveniri consentaneum est, quoniam illa carmina decem minimum annis ante condita sunt.

[2]) aliqua similitudo intercedit inter Tib. I 3, 27 sq.:

nam posse mederi
picta docet templis multa tabella tuis

et huius epigrammatis v. 5:

aut picta tua templa tabella.

Caput III.

Nullum esse poetam, qui non priorum exemplum plus minusve imitatus sit, per se constat. Carmina autem, in quae iamiam inquisituri sumus, Vergilium iuvenem lusisse supra demonstravisse mihi videor. Maroni paululum antecesserunt aetate vel aequales fuerunt poetae neoterici quos vocant, qui ad exemplum Callimachi et aliorum poetarum Alexandrinorum scripserunt omne genus carminum minorum: epyllia et epigrammata, elegias et carmina maledicentia amatoriaque. Iam poetae hi Romani plerique oriundi sunt ex eadem Italiae regione atque Vergilius, Gallia Transpadana. Namque cum Vergilius in pago, qui Andes dicitur, Mantuae vicino in lucem editus sit, Valerius Catullus est ortu Veronensis, Furius Bibaculus Cremonensis, Helvius Cinna Brixiensis secundum sagacem coniecturam Adolphi Kiessling[1]), Valerius autem Cato a Suetonio[2]) *Gallus* et Cornelius Nepos, qui ipse quoque in horum numero referri potest, a C. Plinio Secundo[3]) *Padi accola* adpellatur. Cum his igitur Vergilius non solum patriae communione coniunctus erat, sed fortasse etiam in quorundam familiaritate versabatur. Etenim in Buc. IX 35 sq.:

nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
digna, sed argutos inter strepere anser olores

---

[1]) De Helvio Cinna poeta, Comment. in honorem Theodori Mommsen, Berol. a. 1877 p. 353 sq.

[2]) De grammat. et rhetor. 11 (p. 109 Reiff.): *Valerius Cato ut nonnulli tradiderunt Burseni cuiusdam libertus ex Gallia.*

[3]) Nat. hist. III 127.

Helvii Cinnae cum L. Vario Vergilii amicissimo coniuncta mentio eo ducit, ut illum quoque tum, cum scripta est haec ecloga, i. e. sub finem anni 713/41 vel proximo ineunte, non solum adhuc in vivis, sed etiam Vergilio familiariter usum esse putemus. Quae cum ita sint, carmina libelli Catalepton imitationes Catulli eiusque amicorum vel certe horum similitudines prae se ferre consentaneum videtur. Sed illud dolendum est, quod praeter poetae Veronensis librum pauca tantummodo exiliaque fragmenta ad nos pervenerunt. Quanta imitatio sit, cum usque ad hoc tempus nemo quod sciam adcurate quaesiverit[1]), fusius explanare non alienum est. Cernitur autem illa apertissime primum quidem inde, quod Vergilius quoque exercuit idem carminum genus, quod poetae neoterici coluerunt, tum quod varia metra Catulliana in usum convertit, postremo quod singulos Catulli eorumque, qui hunc secuti sunt, versus consulto repetivit atque illorum elocutionem imitatus est.

1.

Summa Catulli virtus poetica, si omittimus pauca carmina maiora, in quibus condendis ille sequitur Graecorum exempla, haud dubie in ea re posita est, quod poeta varios animi motus versibus mandabat atque legentes certiores faciebat de iis, quae ipse vidit et expertus est in vita. Neque aliter res se habet in libello Catalepton. Vergilius enim simillima ratione atque poeta Veronensis locos patriae suae commemorare amat: *lutosam Galliam* c. X 12, *Mantuam* c. VIII 6 et X 4, *Cremonam* c. VIII 6 et X 12, *Brixiam* c. X 5, Sironis philosophi villam, quam in Gallia Cisalpina sitam fuisse adparet,

[1]) pauca protulerunt Naekius, Carmina Valerii Catonis p. 221 sqq. Ribbeckius, Appendix Vergiliana ed. a. 1868 p. 5 sqq. I. Suess in Actis seminarii philologici Erlangensis vol. I (a. 1878) p. 6 sq. Caietanus Curcio, *Poeti latini minori* vol. II fasc. 1 p. 28 sqq.

c. VIII 1. Iam res, quae ad ipsius vitam pertinent, poeta tangit c. V *Ite hinc inanes, ite, rhetorum ampullae,* quo studia antiqua valere iubet, atque c. VIII *Villula, quae Sironis eras, et pauper agelle,* quo se et suos familiares Sironis fundo commendat veritus, ne illis temporibus sollicitis in periculum subitum incidant. Porro Vergilius c. V 6 S. Sabini sodalis et c. VII 1 Varii Rufi familiarissimi comiter meminit. Carmine autem I *De qua saepe tibi, venit* Plotio Tuccae iocose refert feminam quandam amatam, cuius nomen tacet, ex itinere redisse, non tamen sibi eius videndae copiam factam.[1]) Denique bis poetam Octavii Musae mentionem fecisse videmus: primum adfirmat c. IV *Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae* amorem suum erga hunc, tum c. XI *Quis deus, Octavi, te nobis abstulit?* dolorem exprimit, quod Musa rerum gestarum scriptor summae spei idemque acer potor praematura morte periit. Etiam in iis carminibus, quibus adversariorum cavillationes continentur, Catulli more usus est. Hunc enim homines sibi odiosos poematis, quae variam formam variumque argumentum exhibent, procaciter et proterve denotare consuevisse notissimum est. Itaque Vergilius c. II *Corinthiorum amator iste verborum* T. Annium Cimbrum ut antiquarium et fratricidam perstringit, carminibus autem VI *Socer beate nec tibi nec alteri* et XII *Superbe Noctuine, putidum caput* acerbissimis verbis carpit Noctuinum quendam. Denique c. X *Sabinus ille, quem videtis, hospites* irridetur is, qui antea mulio fuit, iam vero consulatu fungitur.

Atque haec quidem de carminibus in universum. Iam deinceps singillatim inquiramus, quos versus Catullianos Vergilium imitatum esse veri simile sit. Ordiamur a priapeis, quae in libelli Catalepton principio scripta videmus. Haec carmina lasciva inscribebantur vel inscribi

[1]) haec disticha postquam fuse explicare frustra conati sunt complures viri docti et praecipue Itali, Birtius l. c. p. 48 sqq. optime interpretatus est.

fingebantur in Priapi Lampsaceni dei fertilitatis hortorumque custodis lignea statua, quam minio pictam cum pene erecto in hortis ponere solebant. Quod carminum genus ab Alexandrinis, quorum praecipue Euphronius id coluit, sumptum in Romanorum poesin induxit Valerius Catullus, cuius quod nobis Terentianus Maurus (v. 2755 sqq.) servavit, fragmento *Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape* verba fiunt de luco deo Lampsaceno sacrato. Illum secuti omnes fere qui floruerunt imperatoris Augusti aetate poetae ludebant priapea, quorum octoginta unum medio fere saeculo p. Chr. n. primo in unum corpus congesta bona fortuna nobis servavit. Quibus accedunt duo, quae Albio Tibullo adscribuntur. Catullum igitur aemulaturus Maro adulescens tria priapea libri Catalepton diversis metris composuisse videtur. Quorum in primo distichis condito *Vere rosa, autumno pomis, aestate frequentor* poeta facit Priapum gloriantem donis vere et aestate et autumno sibi datis, sed metuentum, ne hieme agricolis lignum praebeat. Iam secundum *Ego haec, ego arte fabricata rustica* et tertium *Hunc ego, ⟨o⟩ iuvenes, locum villulamque palustrem* non modo constant e vicenis singulis versibus, illud e iambis puris, hoc e priapeis, sed variant etiam idem argumentum[1]). Deus enim Lampsacenus inducitur praedicans sese hortum et agellum tueri a furibus, cuius rei multos et varios fructus quattuor anni temporibus ab ero capiat.

Furii quoque Bibaculi versus a Suetonio[2]) adlatos,

---

[1]) priapeum tertium ante oculos habuit Martialis VIII 40:
Non horti neque palmitis beati,
sed rari nemoris, Priape, custos,
ex quo natus es et potes renasci,
furaces, moneo, manus repellas,
et silvam domini focis reserves:
si defecerit haec, et ipse lignum es.

[2]) De grammat. et rhetor. 11 (p. 109 sq. Reiff.); vide etiam Fragmenta poet. Rom. ed. Baehrens p. 317.

quamquam non carmen est priapeum, tamen adscribere iuvabit. Ille enim iucunde celebrat Valerium Catonem paucis contentum et Priapi mentionem facit sic locutus:

si quis forte mei domum Catonis
depictas minio assulas et illos
custodis videt hortulos Priapi.

Carmine autem X *Sabinus ille, quem videtis, hospites* celeberrimi illius Catulliani carminis 4 *Phaselus ille, quem videtis, hospites* versus eodem metro usus paene ad verbum descripsit Vergilius, sed in alium sensum ridicule detorsit ita, ut carmen Catulliani parodia nominari possit. Atque haec est unica integri carminis parodia, quae ex ipsa antiquitate ad nos pervenit. Sed cum Catulli poema e viginti septem versibus constet, Catalepton c. X duobus versibus brevius est. Quorum alterum post v. 19 librarii socordia intercidisse postquam Nansius[1]) primus coniecit, Buechelerus[2]) certo argumento comprobavit[3]). Quod autem ad alterum versum omissum adtinet, Vergilius tres exempli versus 8 sqq.:

Rhodumque nobilem horridamque Thraciam
Propontida trucemve Ponticum sinum,
ubi iste post phaselus antea fuit

contraxit in duos hos 8 sq.:

ubi iste post Sabinus ante Quinctio
bidente dicit attodisse forcipe.

Aliam autem indolem praebet Catulli carmen, aliam Vergilianum. Catullus enim hospiti Romano, in cuius domicilium situm in Bithynia ad lacum Apolloniensem

---

[1]) cf. Heynium l. c. vol. IV p. 361.
[2]) mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 525.
[3]) Birtius l. c. p. 122 proponit hunc versum:
pecus recalcitrare ferreo pede.
Idem post v. 17 omissa esse parum probabiliter opinatur haec fere:
iter parasse mulio, neque ipse non.

devertit, cum vere anni 698/56 ex oppido Nicaea domum rediret, atque itineris sociis varios casus phaseli ad litus iacentis iocose et lepide enarrat id fortasse agens, ut his versibus pro hospitio gratiam referat[1]). At Vergilius celebrat Sabinum vel Quinctionem, qui egregie mulionis negotium gesserit, sub eius imagine mordaciter irridens Ventidium mulionem consulem. Nam de hoc consulatum adepto ita narrat A. Gellius[2]): *eamque rem tam intoleranter tulisse populum Romanum, qui Ventidium Bassum meminerat curandis mulis victitasse, ut vulgo per vias urbis versiculi proscriberentur*:

concurrite omnes augures, haruspices!
portentum invisitatum conflatum est recens:
nam mulos qui fricabat, consul factus est.

His versibus popularibus cognitis Vergilius, qui tum Romae versabatur, adductus esse videtur, ut suo carmine verbis Catullianis partim descriptis, partim facete mutatis Ventidium cum Sabino mulione coniungens denotaret.

Iam ut Catullus hospites Bithynos adloquitur, ita Vergilius eadem voce *hospites* usus Romanos praetereuntes aedem Castoris ridicule adhortatur, ut mulionem ad amplissimos honores promotum admirentur. Fingit autem poeta hos versus maledicos tituli instar subscriptos esse statuae Ventidii in sella curuli sedentis pro aede Castoris, ubi senatus saepe habebatur[3]). Eandem indolem atque hoc carmen Vergilianum praebet Catulli quoque c. 57

---

[1]) hoc sagaciter ostendit Conradus Cichorius, *Zur Deutung von Catulls Phaselusgedicht, Beiträge zur alten Geschichte und griech.-römischen Altertumskunde, Festschrift für O. Hirschfeld*, Berol. a. 1903 p. 467 sqq.; vide imprimis p. 480 sq.

[2]) Noct. Attic. XV 4, 3.

[3]) quod c. X iambis conclusum est, illustratur Hecubae elogio iambis claudis composito ab Asclepiade Samio, cuius fragmentum adfertur in scholiis ad Euripidis Hecubam v. 1273:

Pulcre convenit improbis cinaedis. Hi enim versus haberi possunt pro subscriptione adposita tabulae, in qua Caesar et Mamurra praefectus fabrum iacentes depicti sunt[1]). Quae cum ita sint, Catullus et Vergilius expresserunt Graecorum epigrammata ἀναθηματικά, quae permulta in anthologiae Palatinae librum sextum congesta nos quoque habemus.

Iam Vergilius ut e Catulli c. 4 verba mutuatus est, ita alio eiusdem poemate ad ipsum argumentum eligendum perductus esse videtur, dico brevissimum epigramma iambis compositum, quod totum adferre iuvabit, c. 52:

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
sella in curuli struma Nonius sedet,
per consulatum perierat Vatinius:
quid est, Catulle? quid moraris emori?

Quibus versibus castigantur Nonius quidam et Vatinius, quorum alter magistratum curulem gerat, alter se brevi tempore consulatum adsecuturum esse speret[2]). Intellegendi autem sunt duo homines, qui in Caesaris favorem venerunt: P. Vatinius, qui sese consulem futurum esse a. 698/56 gloriabatur, ut Cicero testatur in interrogatione (6. 11. 38) hoc tempore habita in illum, et Nonius Asprenas, quem postea a. 708/46 pro praetore ante pugnam ad Thapsum commissam a Iulio Caesare cum duabus legionibus castris praesidio relictum esse in Bello Africano (80) et proximo anno equites ex Italia in Hispaniam ad

---

κυνὸς καλοῦσι δύσμορον σῆμα.

Vide quae exposuerunt Ricardus Reitzenstein in encycl. reali ed. a Georgio Wissowa vol. VI p. 93 et Franciscus Susemihl, *Geschichte der griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit* vol. II (Lips. a. 1892) p. 525 adn. 36.

[1]) vide Reitzensteinium l. c. p. 102.

[2]) hoc significare versum tertium Henricus Valesius ad Amm. Marcell. XXIV 3, 9 optime vidit; cf. quod adnotat Mauricius Haupt, Opusc. vol. I p. 9 adn. 1.

Caesarem duxisse in Bello Hispaniensi (10) traditur. Simili modo poeta Mantuanus mordacibus dictis carpit Sabinum. Si ita res se habet, omnino dubitari nequit, quin poetae, cum scriberet v. 23 sq.:

nunc eburnea
sedetque sede seque dedicat tibi,

ante oculos obversatus sit Catulliani carminis v. 2:

sella in curuli struma Nonius sedet.

Aeque atque c. X pro statuae vel sepulcri titulo habendum est c. III *Aspice quem valido subnixum gloria regno* scriptum in ducem, qui fortuna prospera usus regibus populisque Asiae fractis etiam Romanos in dicionem suam subacturus erat, cum deorum numine subitam mortem obiit. Intellegendum autem esse Alexandrum Magnum primus recte vidit Oudendorpius atque certis argumentis denuo stabilivit Buechelerus[1].

Iam deinceps cum quaeramus, ad quorum exemplorum similitudinem scriptum sit epigramma in T. Annium Cimbrum antiquarium et fratricidam c. II *Corinthiorum amator iste verborum,* primum conferre licet Catulli c. 84 *Chommoda dicebat, si quando commoda vellet,* quibus versibus Arrius quidam exagitatur, quod rusticorum more plurimis verbis ridicule adspirare soleat arbitratus se ita egregie loqui. Porro inter poetarum neotericorum fragmenta brevissimum carmen reperitur, ex cuius imitatione illud epigramma Vergilianum profectum esse dilucide

[1]) mirus concentus intercedit inter Catalepton c. III et hosce versiculos populares in imperatorem Tiberium factos, quos adfert Suetonius Tib. 59 (cf. Fragm. poet. Rom. ed. Baehrens p. 360):

Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam
et Marium, si vis, aspice, sed reducem,
nec non Antonii civilia bella moventis
non semel infectas aspice caede manus
et dic: Roma perit! regnavit sanguine multo,
ad regnum quisquis venit ab exilio.

adparet. Pomponius enim Porphyrio Horatii commentator ad Sat. II 2,50 adfert haec: *Rufus*[1]) *praetorius instituisse traditur, ut ciconiarum pulli manducarentur, isque cum repulsam in praetura tulisset, tale epigramma meruit:*

Ciconiarum Rufus iste conditor,
hic est duobus elegantior Plancis,
suffragiorum puncta non tulit septem:
ciconiarum populus ultus est mortem.

Quis sit auctor huius lepidissimi carminis, nescimus. Sed quonam tempore compositum sit, cum magna probabilitatis specie coniecit Buechelerus[2]) docens hos versiculos scriptos esse ineunte saeculo octavo u. c., i. e. circa a. 50 a. Chr. n., qua aetate ipsa Publilius Syrus carmen de luxuria et de usu comedendarum ciconiarum apud Petronium 55,6 servatum[3]) condidisset. Illi poematio summum concentum esse cum versibus Vergilianis, in quos iam inquirimus, quis est qui neget? Primum enim utrumque carmen e perpaucis trimetris claudis constat. Deinde versu primo is, qui carpitur, vocabulis similiter conformatis commode et acute describitur atque praecipue memoratu digna sunt et vox *iste* utrobique occurrens et inter se similia nomina agentis *conditor* et *amator.* Male autem dicit ille poeta incertus Rufo, quod instituerit, ut ciconiae ederentur, Vergilius vero T. Annio Cimbro, quod antiquis verbis insipide uti soleat. Praeterea adversarius uterque caedis arguitur. Etenim cum Vergilius Cimbro opprobrio det, quod fratrem

[1]) in nomine gentilicio adferendo Horatii commentatores inter se discrepant. Nam cum Porphyrio nomen Plotium Rufo fuisse testetur, Acronis scholia quae vocantur eum adpellant aut Asellium aut Sempronium.

[2]) annal. philol. vol. LXXXIX (a. 1864) p. 318.

[3]) hos versus non Publilii ipsius esse, sed ad eius sermonem versusque componendi consuetudinem a Petronio fictos atque in Cenam Trimalchionis insertos esse post alios contendit Ludovicus Friedlaender in Cenae Trimalchionis editione altera, Lips. a. 1906 p. 287.

veneno interemerit, alter scriptor cum acerbitate enuntiat populum, ut avium necem ulcisceretur, Rufum non creavisse praetorem. Itaque si verum est id, quod Buechelerus de epigrammatis tempore suspicatus est, hoc Vergilio, cum Catalepton c. II luderet, ob oculos versatum esse probabile est.

Huc accedit Graecum epigramma, e cuius imitatione c. II fluxisse Buechelerus [1]) recte ostendit. Apud Athenaeum enim (V p. 222 A) servatum est hoc carmen in Aristarcheos grammaticos Crateteorum adversarios et aemulos, quod Herodicus Babylonius grammaticus Cratetis Mallotae sectam ipse quoque secutus sub finem saeculi a. Chr. n. secundi vel proximo ineunte composuit:

Φεύγετ', 'Αριστάρχειοι, ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Ἑλλάδα, τῆς ξουθῆς δειλότεροι κεμάδος,
γωνιοβόμβυκες, μονοσύλλαβοι, οἷσι μέμηλε
τὸ σφὶν καὶ σφῶιν καὶ τὸ μὶν ἠδὲ τὸ νίν.
τοῦθ' ὑμῖν εἴη δυσπέμφελον· Ἡροδίκῳ δὲ
Ἑλλὰς ἀεὶ μίμνοι καὶ θεόπαις Βαβυλών.

Ex his glossematis [2]), quae Aristarchei tractare solebant,

[1]) vide quae Buechelerus exposuit in mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 509 sqq. atque adde quod Georgius Kaibel monuit ibid. vol. XLIV (a. 1889) p. 316.

[2]) talia parva et molesta vocabula quasi grammaticorum cruces commemorantur, ut Buechelerus adnotat, etiam in aliis posterioris temporis epigrammatis, velut in Philippi Thessalonicensis versibus hisce (A. P. XI 321,5 sq.):

συνδέσμων λυγρῶν θηρήτορες, οἷς τὸ μὶν ἢ σφὶν
εὔαδε καὶ ζητεῖν εἰ κύνας εἶχε Κύκλωψ,

vel in Lucilii, qui Neronis aequalis fuit, hisce (A. P. XI 142):

Πολλοῦ δεῖ καὶ σφὶν καὶ τοὶς παρ' ἕκαστα δικασταὶ
ἄνδρες καὶ λέγε δὴ τὸν νόμον ἐνθάδε μοι,
καὶ ταυτὶ καὶ μῶν καὶ τετταράκοντα καὶ ἄττα
σκεψάμενος, καί τοι νὴ Δία καὶ μὰ Δία,
ῥήτωρ ἐστὶ Κρίτων, καὶ παιδία πολλὰ διδάσκει.
προσθήσει δ' αὐτοῖς γρῦ, φαθὶ καὶ μὶν ἔτι.

Vergilius adsumpsit voces *μίν* et *σφίν* dicens v. 4:

min et sphin ut male illisit. [1])

Sed ut veniamus ad carmina VI et XII, haec duo non solum metri communione, sed argumenti quoque similitudine arte inter se cohaerere in propatulo est. Atque carmine XII *Superbe Noctuine, putidum caput* Vergilius acerbissime irridet Noctuinum quendam, quod alteram Atilii helluonis filiam petiverit, sed una cum hac etiam alteram, quae sit hirnea, i. e. lagoena, in matrimonium duxerit. Carmine autem VI *Socer beate nec tibi nec alteri* poetam indignari videmus, quod pulcherrima Noctuini uxor rebus familiaribus profusis rus se conferre cogatur. Quod Vergilius unum eundemque hominem duobus carminibus cavillatur eodem metro atque iisdem vel similibus verbis et sententiis usus, idem in Catulli quoque libro saepe occurrit. Ut hoc perspicuum fiat, pauca exempla adferre mihi liceat. Poeta enim c. 37 *Salax taberna vosque, contubernales* mordacibus verbis perstringit rivales suos et amatores Lesbiae, e quorum numero unum Egnatium Celtiberum nominatim carpit. Idem homo carmine 39 *Egnatius, quod candidos habet dentes* ipso quoque iambis claudis composito proterve illuditur, quod semper renidens dentes suos candidos, sed urina defricatos ostendere soleat. Iam c. 41 *Ameana puella defutata* et c. 43 *Salve, nec minimo puella naso* argumenti ipsa adfinitate et metro eodem inter se continentur spectantes ad decoctoris Formiani, i. e. Mamurrae amicam, quae Catullum pretium amoris magnam pecuniae summam postulaverat.

Porro ut revertamur ad carmina Vergiliana, poeta scribens in carmine VI extremo:

ut ille versus usquequaque pertinet:
gener socerque, perdidistis omnia,

[1]) Susemihlius, qui primo l. c. vol. II p. 25 adn. 126 dubitavit, ususne sit Vergilius Herodici exemplo, in eiusdem libri Addendis et Corrigendis p. 684 sq. Buecheleri sententiam accepit.

legentes admonet Catulliani poematis 29 *Quis hoc potest videre, quis potest pati,* cuius versum ultimum vocibus *socer* et *gener* mutatis ad verbum descripsit.

Atque etiam ad argumentum ipsum Vergilius illo carmine perductus esse videtur. Catullus enim ira inflammatus Mamurrae, qui cum Caesar Gallos bello persequeretur, ibi praefectus fabrum fuit, opprobrio dat, quod non modo bona paterna, sed etiam permagnas divitias in Ponto, Hispania, Gallia partas impudenter profuderit, Caesarem autem ipsum eiusque generum Pompeium obiurgat, quod Mamurrae gratia exteros populos expilaverit omniaque perdiderit.

Cum carmine XII, quod ipsum fescennina iocatio nominari potest, in comparationem vocare licet Catulli epithalamium c. 61 *Collis o Heliconii cultor, Uraniae genus,* quod factum est in honorem Manlii Torquati et Viniae Aurunculeiae. Hoc Vergilio ob oculos versatum esse credibile fit, si confers v. 7:

ducit, ut decet

cum epithalamii v. 211 sq.:

ludite, ut lubet, et brevi
liberos date, non decet

et v. 9:

thalassio, thalassio, thalassio

cum epithalamii v. 133 sq.:

lubet
iam servire Talassio[1]).

Huc accedit, quod in v. 2 pro nupta vocabulum *puella* adhibitum est pariter atque in eiusdem Catulliani carminis v. 182 et 188 vox *puellula.*

Certa Catullianae imitationis vestigia habent etiam carmina V et VIII. Namque quod Maro altero ex his

[1]) de hoc deo nuptiali diligenter disseruit Ricardus Schmidt, De Hymenaeo et Talasio dis veterum nuptialibus, diss. Kiliae a. 1886 p. 81 sqq.

c. VIII *Villula, quae Sironis eras, et pauper agelle* villam Sironis adloquitur, simile reperitur apud poetam Veronensem, qui carmine 31 *Paene insularum, Sirmio, insularumque* ex Bithynia redux in patriam suavissimis verbis salutat fundum suum ad lacum Benacum in Sirmione paeninsula situm atque c. 44 *O funde noster seu Sabine seu Tiburs* praedium suburbanum adfatur idque singulari laude celebrat simulans se ibi versatum a vehementi tussi gravedineque recreatum esse. Iam Catalepton c. VIII 3. 5:

me tibi et hos una mecum, quos semper amavi
commendo

memoriam revocant principii Catulliani carminis 15, ubi scripta videmus haec:

Commendo tibi me ac meos amores.

Ut poeta Veronensis c. 46 *Iam ver egelidos refert tepores* summum gaudium prodit, quod Bithynis campis relictis iter per Asiam facere eiusque urbes claras visere sibi liceat, ita Vergilius c. V *Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae* rhetoribus et scholasticis una cum Musis vale dicit, cum Sironis philosophiam adpetat. Illud Catullianum carmen ei notum fuisse in propatulo est, si conferimus hos versus inter se similes: Catulli c. 46,6:

ad claras Asiae volamus urbes

et Catalepton c. V 8:

nos ad beatos vela mittimus portus,

Catulli c. 46,8 sq.:

iam laeti studio pedes vigescunt.
o dulces comitum valete coetus

et Catalepton c. V 6 sqq.:

tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
vale, Sabine; iam valete, formosi.
11 ite hinc, camenae; vos quoque ite iam sane,
dulces camenae.

Deinceps ut pergamus ad Catalepton c. VII *Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam,* in Catulli libro reperitur carmen, quo Vergilius sine ulla dubitatione usus est, dico c. 92 *Lesbia mi dicit semper male nec tacet unquam.* Hoc enim perinde atque illud epigramma constat e duobus distichis atque in eo scripta videmus verba haec:

2 Lesbia me dispeream nisi amat,
4 verum dispeream nisi amo.

Similiter Vergilius ipse dicit Catalepton c. VII 2:

dispeream, nisi me perdidit iste putus.

Cf. etiam c. IV 3:

dispeream si te fuerit mihi carior alter.

Restat ut paucis exponam de duobus iis carminibus, quae Vergilius ad Octavium Musam historicum scripsit. Horum alterum, c. IV *Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,* quod elegidion recte nominari duco, conferamus cum Catullianis poematis eiusdem generis, velut c. 72 *Dicebas quondam solum te nosse Catullum* vel c. 76 *Siqua recordanti bene facta priora voluptas* vel c. 107 *Si quicquam cupido optantique obtigit unquam,* quibus poeta varios animi motus exprimit.[1]) Quod autem Vergilius iuvenum more rem in maius extollens se diligere neminem magis quam Octavium adfirmat v. 3 sq.:

dispeream si te fuerit mihi carior alter:
alter enim qui te dulcior esse potest?

atque eius summum ingenium et virtutem laudat v. 8 sq.:

doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
o quis te in terris loquitur iucundior uno?

simillime Catullus canit in c. 9, quod orditur ab his verbis:

Verani, omnibus e meis amicis
antistans mihi milibus trecentis.

---

[1]) de hac re optime disputavit Fridericus Iacoby in mus. Rhen. vol. LX (a. 1905) p. 81 sqq.

Epigrammate autem XI *Quis deus, Octavi, te nobis abstulit?* poeta Octavium Musam, quem nimio vino mortuum esse fama erat, ab hac culpa liberat fingens se eius animam orare et hanc responsum reddere. Quod carmen apertam imitationem epigrammatis Callimachei prae se ferre primus Dobraeus[1]) agnovit adsentiente Mauricio Haupt.[2]) Sunt hi versus de Menecratis morte (A. P. VII 725):

ʽΑἴνιε, καὶ σὺ γὰρ ὧδε, Μενέκρατες, οὐκ ἐπὶ πουλὺ
ἦσθα, τί σε, ξείνων λῷστε, κατειργάσατο;
ἦ ῥα τὸ καὶ Κένταυρον᾽; ʽὉ μοι πεπρωμένος ὕπνος
ἦλθεν, ὁ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν.᾽

Hos versus Vergilius coloribus Catullianis[3]) usus transtulit iisque duo disticha addidit, quibus amici scripta historica valde admiratus queritur, quod talis vir tam praematuram mortem obierit. Iam alterum quoque epigramma adscribere iuvabit, cuius materia non dissimilis est carmini Vergiliano. Addaeus enim quidam, ut dilueret memoriam eam, quae vulgo de Euripidis morte proditur, composuit versus hosce (A. P. VII 51):

Οὔ σε κυνῶν γένος εἷλ᾽, Εὐριπίδη, οὐδὲ γυναικὸς
οἶστρος, τὸν σκοτίης Κύπριδος ἀλλότριον,
ἀλλ᾽ Ἀΐδης καὶ γῆρας. ὑπαὶ Μακέτῃ δ᾽ Ἀρεθούσῃ
κεῖσαι, ἑταιρείῃ τίμιος Ἀρχέλεω.
σὸν δ᾽ οὐ τοῦτον ἐγὼ τίθεμαι τάφον, ἀλλὰ τὰ Βάκχου
βήματα καὶ σκηνὰς ⟨ἔμπεδ᾽ ἐρειδομένας⟩.

His quae explanavi de singulis Catalepton carminibus, id mihi dilucide ostendisse videor, ut paucis comprehendam, Vergilium adulescentem praecipue vestigia Catulli et poetarum Alexandrinorum pressisse ita quidem plerumque, ut ex altero carmine argumentum peteret, ex altero metrum et sententias locutionesque lepide mutuaretur.

---

[1]) Advers. tom. II p. 9.
[2]) Opuscula vol. II p. 146 sq.
[3]) hos infra proferam.

2.

Iam deinceps cum investigemus, quemadmodum in re metrica Vergilius secutus sit leges eas, quibus illius temporis poetae obtemperabant, primo obtutu cognoscimus summam similitudinem intercedere inter Valerii Catulli librum et opusculum Catalepton. Horum enim utriusque propria est mira metrorum varietas. Namque invenimus disticha elegiaca, iambos puros, trimetros claudos, versus priapeos, quibus metris accedit distichon iambicum a Catullo nunquam adhibitum. Atque id quoque respiciamus hoc metro compositum esse carmen XIII *Iacere me, quod alta non possim, putas*, quod Vergilium ipsum non composuisse supra ostendimus.[1])

Ac primum quidem inquiramus in distichon dactylicum, quo conclusa esse videmus, si omittimus c. IX et XIV a Vergilio aliena, septem poemata haec: I.* I. III. IV. VII. VIII. XI. Quod metrum a Q. Ennio inductum in Romanorum poesin praebent Catulli quattuor carmina ampliora (c. 65—68) et duodequinquaginta epigrammata (c. 69—116) atque postea adhibuerunt summoque studio excoluerunt imprimis Albius Tibullus, S. Propertius, P. Ovidius Naso.

Ut ab hexametris ordiamur, poetae neoterici qui dicuntur Alexandrinorum more usi spondeum pro dactylo ponere atque spondiacos, quos Cicero[2]) cavillatur, condere amabant. Itaque in omnibus quos scripsit Catullus hexametris, si quattuor priores pedes respicimus, duae fere partes sunt spondei, tertia tantum pars dactyli.[3]) Iam cum inter 797 versus legantur 71, qui toti ex spondeis

[1]) sed mirum in modum versu phalaeceo a Catullo eiusque amicis identidem adhibito Vergilius plane se abstinuit aeque atque Horatius.

[2]) Epist. ad Att. VII 2,1: *ita belle nobis*
Flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites.
Hunc σπονδειάζοντα si cui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendito.

[3]) vide quae composuit Carolus Hultgren in annal. philol. vol. CVII (a. 1873) p. 745 sqq.

constent excepto pede quinto[1]), spondiacos 42 invenimus, ex quibus 12 coniuncti sunt cum pentametro.[2]) Neque vero ullum hexametrum spondeo omnino carentem Catullus composuit.

Ab hac valde diversa est ratio heroicorum versuum eorum, quos scripserunt poetae aetatis Augusteae. Hos enim plures dactylos quam spondeos adhibuisse notum est, qua re oratio expeditius atque volubilius, ut ita dicam, decurrit. Namque in Ovidii libris epicis, ut hoc uno exemplo utar, inter 100 pedes 55 circiter sunt dactyli, 45 autem spondei. Vergilius vero quasi media via utitur in Catalepton carminibus, cum in quattuor pedibus prioribus reperiantur 45 dactyli atque 55 spondei.[3])

Iam unicus hexameter hic (c. III 3):

terrarum hic bello magnum concusserat orbem

nullum habet dactylum nisi in quinta versus sede, qua re poeta perspicue expressit, quantae difficultates Alexandro Magno superandae fuissent, ut totum terrarum orbem subigeret. Simillima ratione Vergilius spondeis usus laborem operosum et difficilem summa cum arte depinxit Georg. I 281, ubi de Oto et Ephialta caelum rescissuris canit ita:

ter sunt conati imponere Pelio Ossam,

et Aen. VI 616 sq. de Sisypho et Ixione sic locutus:

saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
districti pendent.

Quibus exemplis addas Aen. VIII 452, quo loco Cyclopum opera exprimitur his verbis:

illi inter sese multa vi bracchia tollunt.[4])

[1]) vide Alexandrum Riese in Catulli edit., Lips. a. 1884 praef. p. XXXVIII sq.

[2]) hoc adnotat Eduardus Norden, *Aeneis Buch VI* p. 434.

[3]) in Aeneidis libris primo et quarto sunt e centenis pedibus 43,6 dactyli, 56,4 spondei, quod idem fere valet in Georgica; vide Hultgrenum l. c. p. 749 sq.

[4]) vide Nordenum l. c. p. 413; cf. etiam quod scribit Dionysius Hal. De compos. verb. 20.

Sed ut redeamus ad libelli Catalepton c. III, hexametrum, qui subsequitur illum, quem supra adtuli, hunc (v. 5):

hic grave servitium tibi iam, tibi, Roma, ferebat

Vergilius consulto nisi fallor conclusit dactylis puris id secutus, ut dicendo significaret, qua celeritate Macedonum rex victor progressus esset. Id quoque adnotem versum spondiacum nullum reperiri in iis poematis, quae iam in examen vocamus.

Quod adtinet ad caesuras versus heroici, apud omnes poetas Romanos longe frequentissima est semiquinaria quam vocant accedente aut caesura semiseptenaria aut bucolica aut harum utraque.[1]) Rarius inveniuntur caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* coniuncta cum incisionibus post secundam arsin quartamque atque caesura semiseptenaria, ad quam incisio post arsin secundam facta accedit. Simili modo plurimi opusculi Catalepton hexametri praebent caesuram semiquinariam additis incisionibus auxiliariis. Iam cum caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* in tribus versibus (c. VII 1. 3. XI 3) occurrat, semiseptenaria bis (c. VIII 1. 5) adhibita est. In uno autem hexametro (c. I 3) ad semiquinariam adiunxit poeta caesuram post quartum trochaeum, quam Catullus quater (c. 68,49. 76,1. 84,5. 101,1) admisit. Quibus in rebus Vergilius secutus esse videtur Lucretii exemplum, qui in versibus 1284 libri sexti, ut hoc unum exemplum adferam, caesuram *κατὰ τρίτον τροχαῖον* octogies septies in usum convertit, duodequinquagies septenariam, vicies semel incisionem post quartum trochaeum factam. Sed ut melius adpareant ea, quae de caesuris explanavi, adponam hanc tabulam, in quam adscripsi aliorum quoque poetarum caesuras, ut comparentur[2]):

[1]) vide quae de hexametri caesuris fuse disputavit atque subtiliter composuit Guilelmus Meyer in act. acad. Bavar. a. 1884 p. 1024 sqq.

[2]) vide Meyerum l. c. p. 1055 sqq. et 1076; cf. etiam Nordenum l. c. p. 421 sqq.; e numeris iis, quos adposui uncis conclusos, elucet, quot versus sint e centenis.

	Lucretii lib. VI	Catullus	Catalepton	Horatii Ep. II 1-3	Vergilii Buc. Georg. Aen.	Vergilii Aen. IV	Tibulli lib. I	Propertii lib. I	Ovidii Am. II. Ars am. I.
1. caesura semiquinaria cum semiseptenaria aut bucolica aut utraque	1128 (87,85)	723 (90,72)	19 (76,0)	545 (73,05)	12910 (88,57)	604 (85,67)	314 (77,53)	331 (93,77)	675 (85,23)
2 a) caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* cum incisionibus post secundam arsin quartamque	44 (3,43)	55 (6,9)	3 (12,0)	65 (8,71)	915 (7,09)	62 (8,79)	82 (20,25)	12 (3,4)	67 (8,46)
b) caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* cum incisione post arsin secundam aut quartam aut cum neutra . .	43 (3,35)	13 (1,63)	—	37 (4,96)	51 (0,39)	8 (1,14)	5 (1,23)	—	1 (0,13)
3. caesura semiseptenaria cum incisionibus post secundam arsin et ante tertiam aut cum alterautra . .	48 (3,74)	2 (0,25)	2 (8,0)	21 (2,82)	126 (0,98)	5 (0,71)	3 (0,74)	3 (0,85)	—
4. caesura semiquinaria cum incisione post quartum trochaeum	21 (1,63)	4 (0,5)	1 (4,0)	78 (10,46)	384 (2,97)	26 (3,69)	1 (0,25)	7 (1,98)	49 (6,18)

Iam ut pergamus ad hexametri exitum, id mentione dignum est duos versus hos Catalepton c. XI 1:

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an quae

et 5:

scripta quidem tua nos multum mirabimur et te

in bina monosyllaba cadere. Quod idem valet in septem Catulli hexametros hos: c. 67, 9. 43. 68, 41. 83, 5. 89, 5. 107, 7. 111, 3. Necdum enim illis poetis notum erat id praeceptum ab aetatis Augusteae poetis servatum, quo monosyllaba in hexametri fine poni vetabantur. Hanc legem ne in maioribus quidem operibus Vergilius agnovit, cum in Bucolicis quattuor versus, in Georgicis tredecim, in Aeneide triginta duo cadant in bina monosyllaba [1]).

Quod Maro c. XI 1 in versus heroici ultima sede pronomen relativum collocavit, idem occurrit etiam in his ceterorum poematum versibus: *quae* Buc. V 83; *cuius* Georg. IV 394; *quos* Aen. V 713. XI 429; *quas* Aen. XI 164; *quo* Buc. IX 48; *quibusve* Aen. VI 560. Pariter autem atque Catalepton c. I 3:

De qua saepe tibi, non venit adhuc mihi: namque

duo Aeneidis versus particula *namque* terminantur V 733 et VII 122 [2]).

In pentametro cum apud poetas aetatis Augusteae maximeque apud Ovidium longe frequentissima prioris membri forma sit haec —◡◡———, Catullus eiusque amici duos spondeos adhibere valde amaverunt, ad quorum exemplum Vergilius condidit quinque hos versus libelli Catalepton: c. I 6. III 10. IV 10. VII 4. XI 6. Ne in ea quidem re Vergilius dissentit ab illis, quod voces plurium quam duarum syllabarum in pentametri exitu posuit. Neque enim agnoverunt eam quam poetae tempore posteriores satis diligenter servaverunt legem, qua monetur, ut pentameter cadat in bisyllabum. Quod ut perspicuum fiat,

[1]) vide Meyerum l. c. p. 1035 et Nordenum l. c. p. 438.
[2]) haec adnotat Nordenus l. c. p. 392 sq.

in tabulae adiectae columnam primam (I) rettuli versus eos, qui finiuntur bisyllabo, in secundam (II), qui trisyllabo, ex tertia autem et quarta liquido adparet, quot pentametri habeant in fine vocem quattuor (III) aut quinque (IV) syllabarum. Addidi autem eos quoque pentametros, qui inveniuntur in Copa, in Tibulli et Propertii libris prioribus, in Ovidii Amorum libri primi carminibus 1—10, denique in omnibus huius poetae operibus:

	I	II	III	IV
Catullus [1])	122 (38,01)	88 (27,41)	91 (28,35)	18 (5,61)
Catalepton	11 (44,0)	6 (24,0)	8 (32,0)	—
Copa	8 (42,11)	8 (42,11)	1 (5,26)	2 (10,52)
Tibulli lib. I	375 (93,28)	12 (2,99)	13 (3,23)	2 (0,5)
Propertii lib. I	222 (62,89)	34 (9,63)	88 (24,93)	9 (2,55)
Ovidii Amor. I 1—10	285 (100,0)	—	—	—
Ovidius (=10700 versus)	10646 (99,49)	5 (0,05)	30 (0,28)	19 (0,18)

Unum habeo, quod addam. Vergilii ars metrica differt ab ea, quam Tibullus ceterique elegiarum poetae coluerunt, atque propius accedit ad Catullianam in ea quoque re, quod verborum comprehensio distichi mensuram excedit hisce locis: Catalepton c. III 5—8. IV 1—3. 4—8. VIII 1—5.

Atque haec quidem de disticho elegiaco. Proximum est, ut de iambis puris dicamus. Quos poetarum Romanorum primus Catullus c. 4 et 29 in usum vocavit spondeo non admisso nisi semel (c. 29,3) in nomine *Māmurram* aliter versui non apto. Hoc metrum quamquam summo cum artificio compositum est, attamen aures paene laedit, cum omni variatione careat. Catullum aemulaturus poeta Mantuanus iambis puris composuit priapeum secundum

[1]) Catulli c. 76, 8 terminatur monosyllabo *sunt* et c. 68, 112 voce septem syllabarum *Amphitryoniades*.

(Catalepton c. II*)[1]), parodiam poematis Catulliani (c. X), duo carmina maledica in Noctuinum (c. VI. XII). Atque brevi tempore post Horatius hos numeros cum hexametro dactylico coniunxit epodo XVI *Altera iam teritur bellis civilibus aetas*, quae secundum sagacem coniecturam nuperrime a Skutschio[2]) prolatam a. 713/41 scripta est. Praeterea constat e puris iambis alterum quod Tibullo adtribuitur carmen priapeum *Quid hoc novi est? Quid ira nuntiat deum?* In omnibus his quos enumeravi versibus caesura quinaria frequentior est quam septenaria, id quod tabula adiecta adcurate demonstratur:

	caesura quinaria	caesura septenaria	caesura quinaria obscurata elisione
Catulli c. 2	18	7	2 (v. 8. 13)
„ c. 29	11	8	5 (v. 5. 9. 11. 12. 20)
Catalepton c. II*	13	7	1 (v. 4)
„ c. VI	4	2	—
„ c. X	17	6	2 (v. 7. 12)
„ c. XII	5	3	—
Horatii Epod. XVI	32	1	—
priapeum Tibullianum	35	10	—

[1]) versum 9, quem tradunt codices depravatum, Wagnerus sic restituendum esse censet:

mihique duro oliva cocta frigore,

Heysius autem (ad Cat. p. 40) secutus virum doctum, qui hanc opinionem adposuit in codice IV A 4 Bibl. Brancaccianae Neapolitano (cf. Ellisii adnotat. ad hunc versum) sic:

mihi caduca duro oliva frigore.

Birtius vero l. c. p. 30 sq. minus probabiliter haec proposuit:

mihi gelata duro oliva frigore.

Versus autem 14 secundum Dorvillii coniecturam fortasse ita legendus est:

tenella matre mugiente vaccula.

[2]) *Neue Jahrbücher für das klassische Altertum, Geschichte und deutsche Literatur* a. 1909 p. 28 sqq.

Catalepton carminis XII versus extremus, qui est

thalassio, thalassio, thalassio,

caesura omnino caret, cum vox nuptialis ter repetita a ceteris verbis seiungenda et pro interiectione habenda sit.

Porro ut transeamus ad trimetros claudos, hoc metrum, quod a Laevio et Cn. Matio inter Romanos primis adhibitum poetis neotericis magnopere placuisse videtur — Catullus enim adhibuit octies: c. 8. 22. 31. 37. 39. 44. 59. 60 —, duo carmina opusculi Catalepton praebent: c. II et V.

Quod adtinet ad huius numeri caesuram, ex omnibus quos habemus trimetris claudis quinariam habent 1120 fere, reliqui autem 30 septenariam coniunctam cum incisione post secundam arsin.[1]) Atque Catullus ex 126 versibus hipponacteis 5 tantum divisit septenaria; in libello autem Catalepton haec caesura invenitur bis (c. II 1. 3), quinaria vero septies decies.

Iam cum in prima et tertia versus sedibus spondeus pro iambo ponatur eo modo, ut ille saepius occurrat quam hic, in quinta sede non admissus est nisi iambus ad Callimachi exemplum. Huius enim trimetri claudi, quos bona fortuna nobis servavit, eandem diligentiam prae se ferunt, cum Hipponax compluriens hoc loco collocaverit spondeum.[2])

[1]) excepti sunt hi versus: Varro Sat. Menipp. fr. 219,2 Buecheler:

in lucubrando olivitasque consumpta est,

Martial. VI 74,4:

mentitur, Aesculane: non habet dentes,

Auson. Ep. 79,5:

de valle femorum altrinsecus pares rugas;

vide quae explanaverunt Otto Crusius, De Babrii aetate (*Leipziger Studien zur klassischen Philologie* vol. II, Lips. a. 1897) p. 164 sqq. et Guilelmus Weinberger in Sertis Hartelianis, Vindobonae a. 1896 p. 117 sqq.

[2]) Caesius Bassius docet haec (Grammat. lat. ed. Keil vol. VI p. 257,20 sqq.): *sed cum facile rectus iambicus admittat quinto loco spondeum, hic scazon pessimus erit, qui habuerit alium quinto loco quam iambum; quo tamen sine religione usus est Hipponax. eius exemplum:*

nec excitatur classico miles rauco.

Severum Alexandrinorum exemplum Romana aetate secuti sunt Varro, Catullus, Vergilius, priapeorum scriptores in ea quoque re, quod iambum aut spondeum in pedem trisyllabum, tribrachyn vel dactylum vel anapaestum, rarissime solverunt discrepantes a Romanis iis, qui primi hoc metro usi sunt, Laevio et Cn. Matio, atque a choliambographis primi p. Chr. n. saeculi, dico Persium, Petronium maximeque Martialem. Hic enim poeta non solum anapaestum saepissime collocavit in prima sede, sed arses etiam solutas recepit in omnes praeter quintum et sextum pedes.[1] Sed haec, quae exposui, oculis melius adparebunt ex tabula adposita: cuius in columnam primam (I) rettuli versus eos, qui incipiunt ab anapaesto; partibus autem secunda et tertia continentur ii, quibus invenitur tribrachys (II) aut dactylus (III).

			I	II	III
Laevius	in versibus	3	—	1	1
Cn. Matius	" "	13	—	3	1
Anonymus Porphyrionis[2]	" "	4	—	—	1
Varro	" "	16	—	—	1
Catullus	" "	126	—	1	2
Priapeorum poetae	" "	81	—	1	1
Licinius Calvus	" "	1	—	—	—
Catalepton	" "	19	—	—	—
Persius	" "	14	3	2	—
Petronius	" "	8	1	1	—
Martialis[3] lib. I	" "	65	8	10	11
" lib. II	" "	111	12	1	8

[1]) vide Crusium l. c. p. 174 sqq.
[2]) ad Horat. Sat. II 2,50; cf. supra p. 79.
[3]) Weinbergerus l. c. p. 118 adnotat Martialem centies quater omnino anapaestum adhibuisse in choliambi principio.

Iam deinceps ut dicamus de trimetri claudi fine, duae fere partes versuum omnium, quos bona fortuna nobis servavit, cadunt in bisyllabum secundum Caesii Bassi praeceptum,[1] quarta pars in trisyllabum, complures autem in vocem quattuor vel quinque syllabarum ita, ut syllaba versus paenultima accentum semper habeat. Versus 32 qui restant terminantur monosyllabo, quod aut cum vocabulo antecedente coalescit[2] aut enclisi coniungitur cum alio monosyllabo[3]), nunquam vero cum polysyllabo; et legimus in versus exitu non nisi formam *est* exceptis duobus choliambis posteriore tempore factis hisce: Martialis XI 100,6:

carnarius sum, pinguiarius non sum

et Boeth. De consol. philos. II 1,8:

magnumque visu monstrat ostentum si quis.

Quae cum ita sint, vix credibile est Vergilium hunc versum (Catalepton c. II 4):

tau Gallicum, min et sphin ut male illisit

ita scripsisse, ut vox *illisit* in duas partes *illi* et *sit* divideretur. Continentem igitur scripturam, quae et Vergilii et Quintiliani codicibus tradita est, contra Buecheleri[4]) opinionem retineamus.

[1]) Gramm. lat. ed. Keil vol. VI p. 257,17 sqq.: *hoc autem ita fieri observabimus, si aut ultimi duo pedes ex disyllabis absolutis verbis constabunt, aut quartus semipes posterior cum insequente pede trisyllabum perficit verbum, tamquam Nonius, utique autem sextus pes perfectum habeat disyllabon, tamquam sedit fecit dixit.*
[2]) adferam haec exempla: Matius fr. 9,2 Baehrens *voluptati est;* Varro Sat. Menipp. fr. 219,1 Buecheler *combusta est,* 2 *consumpta est;* Cat. c. 22,21 *in tergo est;* c. 37,15 *quod indignum est;* c. 39,2 *ad rei ventum est;* 6 *ubicumque est;* 16 *ineptior nulla est;* c. 44,3 *quibus cordi est.*
[3]) Cat. c. 39,20 *expolitior dens est;* c. 44,2 *quibus non est;* Priap. 36,11 *mentulatior non est;* Martial. I 10,3 *foedius nil est.*
[4]) mus. Rhen. vol. XXXVIII (a. 1883) p. 507 sq.; cf. etiam Weinbergerum l. c. p. 120.

Hipponax atque poetae Alexandrini choliambos condiderunt eo consilio, ut adversarios irriderent eisque male dicerent, atque eo modo haud inepte numeros carminum argumento adcommodaverunt. Quod ipsum Catullus quoque in plurimis versibus claudis componendis spectavit. Sed ab hac natura indoleque abhorret dulcissimum c. 31, quo poeta ex itinere in Italiam reversus villam in Sirmione paeninsula sitam lepide salutat. Simillima ratione Vergilius, qui acerbissimos iambos (c. II) in T. Annium Cimbrum misit, idem c. V eodem metro usus suavissimis verbis praeceptores suos una cum S. Sabino sodale atque Musas valere iubet Epicuri philosophiam petiturus.

Restat metrum priapeum semel adhibitum a Marone (c. III*). Quod Catullum quoque in usum suum vertisse testimonio sunt c. 17 *O Colonia, quae cupis ponte ludere longo* atque duo fragmenta, quorum alterum servatum est apud Terentianum Maurum (v. 2755 sqq.), alterum exile apud Nonium Marcellum (p. 134 Merc.). Praeterea supersunt Maecenatis quattuor versus priapei, quos adfert L. Annaeus Seneca philosophus in Epist. 101,11.

Priapei versus ei, quos Vergilius et Maecenas condiderunt, discrepant a Catullianis in ea una re, quod incisio inter duo cola, ex quibus versus constat, glyconeum et pherecrateum, in Catulli priapeis triginta uno elisione obscuratur quater[1]), ab illis vero haec licentia nunquam admissa est. Iam quod adtinet ad basin quae vocatur glyconei et pherecratei, Catullus eumque imitati Maecenas atque Vergilius in hac sede plerumque posuerunt trochaeum, raro spondeum, Catullus semel iambum[2]), cum

[1]) sunt versus hi:
c. 17,4 ne supinus eat cavaque in palude recumbat,
11 lividissima maximeque est profunda vorago,
24 si pote stolidum repente excitare veternum,
26 ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

[2]) in alterius fragmenti pherecrateo:
—◡—◡◡ de meo ligurrire libido est.

Horatius[1]) et ceteri Augusteae aetatis poetae non admiserint nisi spondeum secuti praeceptum metricorum eorum, qui glyconeum et pherecrateum hexametri dactylici partes esse docuerunt.[2]) Quod ut perspicuum fiat, adpono hanc tabulam:

	Catulli		Catalepton	Maecenas
	c. 17	fr. 1		
glyconeus incipit a trochaeo	16	1	12	4
glyconeus incipit a spondeo	10	3	9	—
pherecrateus incipit a trochaeo	24	4	20	3
pherecrateus incipit a spondeo	2	—	1	—

Permultas synaloephas apud Catullum et plurimas in iis carminibus, quorum elocutio ad sermonem vulgarem prope accedit, dico in nugis, si hoc nomine sexaginta poemata priora significare licet, atque in epigrammatis inveniri satis constat. In hac re carmina Vergiliana cum Catullianis maxime congruunt. Namque in versibus 151 iis, de quibus iam dicimus, reperiuntur elisiones 67, quarum tertia fere pars est gravioris naturae. Neque vero id quidem neglegamus c. VI et XII, quibus Noctuinus quidam castigatur, atque c. VII elisione omnino carere. Admodum similiter poetae Veronensis brevissima carmina 41 et 43 scripta in Ameanam puellam non exhibent elisionem nisi unicam in carminis 43 versu extremo.

Sed explicemus singula. Voces iambici pedis mensura comprehensas Catullus saepissime elisit, velut c. 10,2

[1]) ab hac lege unus Horatii glyconeus exceptus est (C. I 15, 36):
ignis Iliacas domos.

[2]) cf. Terent. Maur. v. 2741 sqq. atque adde quae monuerunt Adolphus Kiessling, *Zu augusteischen Dichtern* (*Philolog. Untersuchungen* vol. II Berol. a. 1881) p. 66 et Guilelmus Christ in act. acad. Bavar. a. 1893 p. 10 sqq.

e foro otiosum vel c. 12,2 *in ioco atque vino* vel c. 22,7 *novi umbilici.* Huius modi synaloepham Vergilium in libro Cataleptou semel admisisse videmus: c. I* 1 *Vere rosă, autumno pomis,* ubi cur pro codicum lectione *autumno pomis* inverso ordine *pomis autumno* secundum Caroli Lachmann[1]) coniecturam scribatur, non esse arbitror. Iam quod c. X 16 *tuā in palude* vocem iambicam et in eiusdem carminis versu 14 *ultimā ex origine* vocem creticam elisio truncavit, haec verba poeta Mantuanus mutuatus est a Catullo, qui dicit c. 4,17 *tuā imbuisse palmulas* et 15 *ultimā ex origine.* Neque aliter res se habet in synaloepha ineleganti, quae invenitur in Catalepton c. II* 3 *sinístrā et ánte,* ubi in quarta senarii puri thesi productam vocalem insequens monosyllabi correpta haurit. Pariter enim Catullus loquitur c. 45,8. 17 *sinístrā ut ánte.* Iam mentione dignae sunt duae hae synaloephae graves: c. III* 7 *diligéntiā ut hérbae*[2]) vocalis producta eliditur in tertia dactyli syllaba ante breve monosyllabum *ut.* Simile elisionum genus in libro Catulliano compluriens inveniri his exemplis probatur: c. 6,11 *árgutátio inámbulátióque,* c. 91,2 *pérdito amóre,* c. 97,6 *plóxeni habét.*[3]) Alteram synaloepham reperimus c. III* 13 *pallentesque cucurbitae et,* ubi diphthongus *ae* elisione hauritur ante breve monosyllabum *et.* Talis elisionis exempla praebet Catulli quoque liber, ut facile intellegis ex hisce locis: c. 7,3 *Libyssae harenae,* c. 26,3 *Boreae aut Apheliotae,* c. 62,42 *multae optavere puellae,* c. 68,89 *Asiae Europaeque,* c. 77,6 *vitae, eheu.*[4])

---

[1]) in Lucretii editione p. 199 ad III 954.

[2]) Quod haec elisio aliena sit a Vergilio, priapeum tertium abiudicat ab hoc poeta Lucianus Mueller in Catulli edit., Lips. a. 1885 praef. p. XLIV.

[3]) vide quae congessit Hauptius, Opusc. vol. I p. 88 sq.

[4]) huius modi elisio cum in Vergilii Bucolicis nunquam admissa sit, in Georgicis et Aeneide haud semel occurrit: Georg. III 62 *feturae habilis,* IV 471 *commotae Erebi,* Aen. I 650 *Argivae Helenae,* VII 796 *Sacranae acies,* X 360 *Troianae acies,* 691

Attamen elisiones libelli Catalepton multo gravioris naturae sunt quam Catullianae, quoniam illae antecedunt breve monosyllabum, has vero subsequitur aut monosyllabum productum aut vocabulum polysyllabum.

Monosyllaba, ut hoc in extremo adnotem, elisa sunt haec: pronomen *te* in Catalepton c. IV 9 *o quis te in terris*[1]), vocabulum *si* c. XI 3 *vobiscum, si est culpa, bibi,* eadem vox in versus principio c. I 4 *si occulitur,* quem durum dicendi usum poeta admisit etiam in Buc. III 48 *si ad vitulam spectas.* Praeterea occurrit eius modi synaloepha in fragmentis Q. Ennii semel (Ann. v. 192 Vahlen), Lucilii bis (fr. 266. 313 Marx), Cinnae semel (fr. 3,3 Baehr.), apud Lucretium semel (IV 1204), in Catulli hexametris bis (64,305. 350), in pentametris quater (c. 65,22. 67,30. 68,14. 86,6), in Horatii Satiris novies (I 1,52. 56. 2,96. 3,27. 120. 6,27. 9,6. II 3,61. 189).[2])

3.

Restat, ut in dissertationis fine explicem ipsius elocutionis congruentiam, qua apertissima Catulli eiusque amicorum imitatio in Catalepton libro cernitur. Ut enim vates Mantuanus ex exemplis suis et Romanis et Graecis permultas sententias versuumque partes vel totos versus adsumpsit in Bucolica, Georgica, Aeneidem, ita sermonis poetarum neotericorum vestigia quaedam plus minusve expressa in carminibus Catalepton reperiuntur.

Atque primum quidem componamus eos locos, quibus Maro orationis flosculos mutuatus est ab illis poetis:

Tyrrhenae acies, XII 548 *conversae acies;* cf. etiam Cul. v. 288 *divae exorabile mortis;* vide quae exposuerunt Leo, *Plautinische Forschungen,* Berol. a. 1895 p. 329 sqq. et Nordenus l. c. p. 449 sq.

[1]) vox *te* elisione deletur in Lucilii fragmentis quinquies, apud Lucretium quater, in Catulli hexametris et pentametris quinquies, apud Ciceronem bis, in Horatii Satiris sedecies, in Epistulis ter, denique in Vergilii Bucolicis bis, in Aeneide vicies; cf. Nordenum l. c. p. 446.

[2]) vide Nordenum l. c. p. 447.

Catalepton	
c. II* 3 sinistra et ante quem vides.	Cat. c. 45,8 sq. 17 sq. sinistra ut ante dextram.
c. II* 4 erique villulam hortulumque pauperis.	Cat. c. 61,92 divitis domini hortulo[1]).
c. II* 7 mihi rubens arista sole fervido.	Cat. c. 64,353 namque velut densas praecerpens messor aristas sole sub ardenti flaventia demetit arva.
c. II* 10 meis capella delicata pascuis.	Cat. c. 17,15 et puella tenellulo delicatior haedo.
c. III* 4 magis et magis sit beata quotannis.	Cat. c. 38,3 et magis magis in dies et horas.
cf. Georg. IV 311 tenuemque magis magis aëra carpunt.	Cat. c. 64,274 magis magis increbescunt. Cat. c. 68,48 magis mortuus atque magis.
c. III* 10 florido mihi ponitur picta vere corolla.	Cat. c. 63,66 mihi floridis corollis redimita domus erat.
c. III* 12 luteae violae mihi lacteumque papaver.	*Cat. c. 61,195 luteumve papaver[2]).
c. III* 13 suave olentia mala.	Cat. c. 61,7 suave olentis amaraci.
c. III* 14 uva educata sub umbra.	Cat. c. 62,41 flos, quem educat imber. 50 vitis nunquam mitem educat uvam.
c. I 1 De qua saepe tibi, venit.	Cat. c. 116,1 Saepe tibi studiose.
c. I 5 venerit, audivi; sed iam mihi nuntius iste.	Cat. c. 9,5 venisti. o mihi nuntii beati!

[1]) id quoque respice Maronem verba ea, quae scripta vidit apud Catullum *divitis domini* mutavisse in haec: *eri pauperis*.

[2]) de hoc loco infra dicetur.

[1])c. IV 1 Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae.	Hor. Epod. XVI 21 ire pedes quocumque ferent[2]). Cat. c. 46,10 sq. longe quos simul a domo profectos diversae variae viae reportant; vide etiam *Ciris v. 183 quo vocat ire dolor.
c. IV 3 dispeream si te fuerit mihi carior alter.[3]) cf. c. VII 2 dispeream nisi me perdidit iste putus.	Cat. c. 92,2 Lesbia me dispeream nisi amat. 4 verum dispeream nisi amo. Hor. Sat. I 9,47 sq. dispeream, ni submosses omnes. Cat. c. 68,159 et longe ante omnes mihi quae me carior ipso est.
c. IV 5 sq. cui iuveni ante alios divi divumque sorores cuncta neque indigno, Musa, dedere bona.	Cat. c. 28,14 sq. at vobis mala multa di deaeque dent.
c. IV 9 o quis te in terris loquitur iucundior uno?	Cat. c. 107,7 quis me uno vivit felicior.
c. IV 11 quare illud satis est, si te permittis amari.	*Cat. c. 68,147 quare illud satis est, si nobis is datur unis.
c. IV 12 non contra ut sit amor mutuus, unde mihi.	Cat. c. 76,23 non iam illud quaero, contra me ut diligat illa.

[1]) de Catalepton c. II vide quae supra p. 78 sqq. exposui.

[2]) cf. Horat. C. I 7,25:
quo nos cumque feret melior Fortuna parente
ibimus.

[3]) huius loci aliquam similitudinem prae se fert epigramma in imperatorem Tiberium scriptum, quod servavit Suetonius Tib. 59:
Asper et immitis, breviter vis omnia dicam?
dispeream, si te mater amare potest.
Cf. etiam Martial. I 39,8:
dispeream, si non hic Decianus erit.

	Cat. c. 45,20 mutuis animis amant amantur.
c. V 7 iam valete, formosi.	Cat. c. 46,8 sq. iam laeti studio pedes vigescunt.
11 sq. vos quoque ite iam sane, dulces camenae.	o dulces comitum valete coetus. Cat. c. 31,13 gaudete vos quoque incitae lacus undae[1].
c. V 8 nos ad beatos vela mittimus portus.	Cat. c. 46,6 ad claras Asiae volemus urbes.
c. VI 2 generque Noctuine, putidum caput.	Calvi fr. 3 (Baehr.) Sardi Tigelli putidum caput venit.
c. XII 1 Superbe Noctuine, putidum caput.	Cat. c. 42,11 (et ordine verborum inverso v. 12. 19. 20) moecha putida, redde codicillos. Cat. c. 98,1 putide Victi.
c. VI 3 sq. tuoque nunc puella talis et tuo stupore pressa rus abibit.	Cat. c. 17,21 talis iste meus stupor nil videt.
c. VI 6 gener socerque, perdidistis omnia.	*Cat. c. 29,24 socer generque, perdidistis omnia[2].
c. VIII 3. 5 me tibi et hos una mecum, quos semper amavi,	*Cat. c. 15,1 Commendo tibi me ac meos amores[3].

[1]) codex Veronensis praebet haec:

gaudete vos quoque lidie lacus unde.

Ut hunc versum depravatum sanarent, plurimi critici *vosque* pro tradito *vos quoque* scribendum esse censuerunt fulcientes hanc opinionem iis, quae inveniuntur in Catulli c. 102, 3 *meque esse invenies illorum iure sacratum,* ubi *meque* pro *me quoque* positum est. At non verba *vos quoque,* sed ea, quae subsequuntur, corrupta esse adparet. Itaque accipiamus Heysii coniecturam, qui *vos quoque incitae lacus undae* legendum esse posuit.

[2]) Cf. Lucan. IV 802:

Et gener atque socer bello concurrere iussi

et Martial. IX 70, 3:

cum gener atque socer diris concurreret armis.

[3]) Cf. Martial. I 52, 1:

Commendo tibi, Quinctiane, nostros.

commendo, ⟨im⟩primisque patrem[1]).	
[2])c. X 9 dicit attodisse forcipe.	Varro Sat. Menipp. fr. 246 (Buech.) detotonderat forcipibus.
c. X 15 tua stetisse ⟨dicit⟩ in voragine.	Cat. c. 17,11 est profunda vorago. 26 ferream ut soleam tenaci in voragine mula.[3])
c. X 23 sq. nunc eburnea sedetque sede seque dedicat tibi.	Cat. c. 52,2 sella in curuli struma Nonius sedet.
c. XI 1 Quis deus, Octavi, te nobis abstulit?	Cat. c. 61,46 sq. quis deus magis est amatis petendus amantibus? *Cat. c. 101,5 quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum. Cat. c. 3,15 tam bellum mihi passerem abstulistis.
c. XI 3 vobiscum, si est culpa, bibi.	Cat. c. 67,10 sq. non . . . . culpa mea est, quamquam dicitur esse mea. 14 ianua, culpa tua est.
c. XI 3 sq. sua quemque sequuntur fata.	*Cat. c. 64,326 sed vos, quae fata sequuntur.
c. XII 7 adeste nunc, adeste!	*Cat. c. 42,1 Adeste, hendecasyllabi, quot estis.

[1]) cf. Cic. Epist. ad fam. XIII 30: *omnia eius tibi commendo imprimisque ipsum virum optimum* et 68: *curabo imprimisque tuebor patrem tuum.*

[2]) de c. X supra p. 75 sqq. fuse dictum est.

[3]) id quoque commemoratu dignum est Catullum in hoc versu exemplum petere a mula. Vergilium autem carmine suo irridere mulionem.

c. XII 7 ducit, ut decet.	Cat. c. 61,211 sq. ludite ut lubet, et brevi liberos date. non decet . . .
c. XII 9 thalassio, thalassio, thalassio!	Cat. 61,133 sq. lubet iam servire Talassio.

Qua re expedita iamiam eos versus, qui insignem Ciris similitudinem prae se ferunt, separatim adscribere iuvat, praesertim cum certe definire non possimus, Vergiliusne an epyllii poeta illos prior condiderit. Sunt hi [1]):

Catalepton	Ciris
c. III* 11 primitus tenera virens.	v. 490 sq. hic velut in niveo, tenera est cum primitus, ovo effigies animantis.
c. III* 10 florido mihi ponitur. 13 sq. et suave olentia mala, uva pampinea rubens. cf. c. II* 7 mihi rubens arista.	v. 96 deponunt flores aut suave rubens narcissus [2]).
c. III 1 Aspice quem valido subnixum gloria regno altius et caeli sedibus extulerat.	v. 7 altius ad magni suspendi sidera mundi. v. 175 sedibus ex altis caeli speculatur amorem.
c. III 5 hic grave servitium tibi iam, tibi, Roma, ferebat.	v. 291 tam grave servitium, tam duros passa labores. [3])
c. III 9 sq. tale deae numen, tali mortalia nutu fallax momento temporis hora dedit.	v. 35 sq. tale deae velum sollemni tempore portant: tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu . . .

[1]) vide Paulum Jahn in mus. Rhen. vol. LXIII (a. 1908) p. 100 sq.

[2]) cf. Verg. Buc. III 63:
suave rubens hyacinthus.

[3]) cf. etiam Propert. I 5, 19:
tum grave servitium nostrae cogere puellae.

c. IV 1 Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae.	v. 183 quo vocat ire dolor.
c. V 12 sq. dulces camenae (nam fatebimur verum, dulces fuistis). [1])	v. 55 nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum.

Si hos locos inter se conlatos adtente persequimur, facile cognoscimus Vergilium in Catalepton carminibus componendis binos orationis flosculos petitos aut ex uno exemplo aut e diversis ingeniose et facete in unum confundere solitum esse, quam consuetudinem postea, cum pangeret Bucolica, Georgica, Aeneidem, summa cum arte excoluit. Unum habeo, quod addam. Poeta cum scriberet Buc. III 63:

lauri et suave rubens hyacinthus,

in usum vocavit Ciris v. 95 sq.:

foribusque hyacinthi
deponunt flores aut suave rubens narcissus,

sed eo modo, ut verba *suave rubens* in epyllio adposita ad vocem *narcissus* ipse coniungeret cum vocabulo *hyacinthus*. Simillima ratione res se habet in Catalepton c. III* 12:

luteae violae mihi lacteumque papaver,

cuius exemplum fuit Catulli c. 61,194 sq.:

alba parthenice velut
luteumve papaver.

Iam deinceps cum examen instituamus, quemadmodum Vergilius poetarum neotericorum elocutionem imitatus sit, initium capiamus a singulis verbis commemoratu dignis.

[1]) cf. etiam Verg. Buc. I 31:
namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat.

Neminem esse puto, quin sciat Catullum eiusque amicos nomina deminutiva et substantiva et adiectiva, quorum usus prope accedit ad sermonem familiarem et plebeium, compluriens adhibuisse eo consilio, ut apte exprimeret non iucunditatem modo amoremque atque similes animi motus, sed etiam eos, qui sunt his contrarii. Huiusmodi vocibus Vergilius adulescens, cum scriberet Catalepton carmina, maxime delectatus esse videtur, cum eas in poematis maioribus ad perpaucas contraxerit. Quod ut perspicuum fiat, adponam omnia deminutiva addamque comparationis causa, quotiens apud Catullum et in ceteris carminibus Vergilianis exstent:

Catalepton c. II* 3 *agellulus.*
c. II* 4. III* 1. VIII 1 *villula;* Cat. c. 26,1.
c. II* 4. III* 18 *hortulus;* Cat. c. 61,92; Cn. Matius fr. 16 Baehr.; cf. etiam Ciris v. 3.
c. II* 6. III* 10 *corolla;* Cat. c. 63,66. 64,283; Copa v. 13.
c. II* 14 *tenella*[2]) *vaccula;* cf. Cat. c. 17,15 *tenellulus haedus*; Laevius fr. 4,2 Baehr. *tenellula*; Lydia v. 29 *vaccula.*
c. III* 8 *sacellum;* Buc. III 9.
c. III* 16 *hirculus.*
c. VIII 1 *agellus;* Buc. IX 3; cf. Dirae v. 45. 82. 90.
c. X 25 *gemellus* (bis); Cat. c. 4,27 (bis). 57,6; Buc. I 14.

Praeter deminutiva Vergilius adhibere amat adiectiva, quae cadunt in suffixum *—eus* partim adsumpta e Lucretio aut Catullo, partim novata. In libro Catalepton scripta legimus haec:

---

1) vide Skutschium, *Gallus und Vergil* p. 4 adn. 1.

2) sic scribendum esse Dorvillius coniecit pro *teneraque* vel *tenerque*, quod praebent codices; vide supra p. 92 adn. 1.

c. I* 3 *ligneus;* Cat. c. 23,6.
c. III* 2 *iunceus;* Copa v. 17.
c. III* 12 *luteus;* Aen. VII 26 (de Aurora).
c. III* 12 *lacteus;* Cat. c. 61,195; Georg. II 525; Aen. VIII 660. X 137.
c. III* 14 *pampineus;* Culex v. 75; Copa v. 31; Buc. VII 58; Georg. II 5; Aen. VI 804. VII 396.
c. III* 18 *vinea* (vitis); Cat. c. 64,39.
c. X 23 *eburneus.*[1])

Ex his vocibus Vergilium ipsum finxisse veri est simillimum adiectivum *pampineus*, cum id nullus scriptor aetate antecedens usurpaverit quod sciamus.[2])

Iamiam de formis antiquis et vocabulis ex lingua Graeca arcessitis, quibus Lucretius et Catullus interdum usi sunt, ut orationi ornatum quendam adferrent, quaeque Vergilii aetate sermonis familiaris et cotidiani non iam propriae erant, haec adnotem: Catalepton c. II* 5:

tuor malaque furis arceo manu

invenimus formam *tuor* declinatam tertia coniugatione, ut nos dicere solemus. Cum neque apud Catullum neque in ceteris Vergilii poematis talis antiqua verbi tuendi forma occurrat, Lucretio hoc dicendi genus usitatissimum fuit, ut testantur haec exempla[3]): *tuimur* I 300. IV 222. VI 930; *contuimur* IV 35; *tuamur* IV 359; *tuantur* IV 997; *tuere* V 318[4]).

---

1) pro hac forma Vergilius in ceteris poematis utitur antiquiore *eburnus*; vide Carolum Wotke in *Wiener Studien* vol. VIII (a. 1886) p. 139.

2) hoc Servius dicere videtur adnotans ad Georg. II 5: *pampineo pro pampinoso, ut nemus frondeum pro frondosum;* vide quae exposuit Nordenus l. c. p. 212 ad Aen. VI 281.

3) vide Fridericum Neue, *Formenlehre der lateinischen Sprache,* edit. tert. vol. III p. 278 sq.

4) Varro De l. l. VII 7 scribit haec: *quocirca caelum qua tuimur dictum templum.*

Ne infinitivus quidem perfecti *deposisse*, i. e. deposivisse, quo Vergilius usus est Catalepton c. X 16:

tua in palude deposisse sarcinas

similiter atque Catullus forma *deposivit* sic locutus (c. 34,7 sq.):

quam mater prope Deliam
deposivit[1]) olivam,

reperitur in maioribus poetae carminibus.[2])

Iam adnotare iuvabit alteram perfecti forman *attodisse*, quae haud dubie adsumpta est e dicendi consuetudine cotidiana, nusquam inveniri nisi Catalepton c. X 9.

Quod autem c. III 9:

tali mortalia nutu
fallax momento temporis hora dedit

dativi forma *nutu* positum est pro *nutui*, hoc nequaquam abhorret a Vergilii sermone. Etenim eiusmodi formae occurrunt hisce quoque locis: Buc. V 29 *curru*; Georg. IV 158 *victu*. 198 *concubitu*; Aen. I 257 *metu*. III 541 *curru*. VI 465 *aspectu*. 698 *amplexu*. IX 605 *venatu*; cf. etiam Lucret. III 971 *usu*. V 101 *visu*[3]).

Huc accedunt duae sermonis proprietates, quae simillima ratione etiam in Bucolicis et Georgicis inveniuntur. Primum poeta c. III* 4 formae passivae *nutrior* subicit eandem vim, quae est activae *nutrio*. Pari modo *nutritor* pro *nutrito* exstat in Georg. II 425:

hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.

Tum adiectivum *pingue* substantivi vice fungitur c. V 4:

scholasticorum natio madens pingui

eadem ratione atque in Georg. III 123 sq.:

impendunt curas denso distendere pingui.

---

[1]) sic rectissime Palladius emendavit codicum scripturam *deposuit* metro haudquaquam adcommodatam.

[2]) vide Fridericum Neue l. c. vol. III p. 397 sq.

[3]) vide quae congessit Raphael Kuehner, *Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache* vol. I (Hannoverae a. 1877) p. 244 sq.

In antiquarum vocum numero referamus etiam has duas: c. III* 2 *maniplis* pro *manipulis* et c. III* 17 *quīs* pro *quibus*. Quorum illud vocabulum per syncopen imminutum Vergilius adhibuit Georg. I 400. III 297. Aen. XI 463. 870. Pronominis autem forma *quīs* pro *quibus* posita est a Catullo quinquies (c. 63,46. 64,80. 145. 66,37. 68,13), in Horatii Epodis semel (XI 9), in Satiris septies (I 1,75. 3,96. 4,72. 130. 5,42. 9,27. II 8,18), in Vergilii Georgicis semel (I 161), nunquam in Bucolicis, decies in Aeneide (I 95. V 511. VII 444. 570. 742. 799. VIII 316. X 168. 366. 435), in Culice quater (v. 122. 145. 151. 389).[1])

Reliquus est loquendi usus, quem primi poetae neoterici coluerunt eosque secutus Vergilius non modo in libellum Catalepton, sed in carmina etiam maiora compluriens recepit, dico particulas atque pronomina traiecta. Atque primum quidem adscribam particulas, quae postpositae sunt, additis exemplis Catullianis[2]):

nam in secunda sede: Catalepton c. III* 5. IV 10; Aen. I 444. 518. 731. III 379. IV 421. VI 67. X 585; Cat. c. 23,7. 37,11. 64,301; cf. etiam Ciris v. 221. 458.

namque in secunda sede: Catalepton c. II* 18. III 6; Georg. IV 221. 392; Aen. VI 117. 860. VIII 497. X 401. 815; Cat. c. 64,383; cf. etiam Ciris v. 106. 261; Culex v. 26; Lydia v. 12; Hor. Sat. I 6,57[3]).

nec postpositum: Catalepton c. VI 1; Georg. I 397; Aen. II 159. III 496. IV 33. 365. 551. 696. V 217. 783. VII 115. 261. 811. IX 218. X 297. XI 137. 343. XII 538. 630. 644. Cat. c. 64,173. 210. 379. 68,55. 116[4]).

---

[1]) vide quae exposuit Fridericus Leo, De Senecae tragoediis observationes criticae, Berol. a. 1878 p. 213, *Plautinische Forschungen* p. 287 adn. 4; cf. etiam Wotkium l. c. p. 141 et Fridericum Neue l. c. edit. tert. vol. II p. 469.

[2]) vide quae composuit Nordenus l. c. p. 394.

[3]) in tertia sede occurrit *namque* Buc. III 33. Aen. VI 72. *nam* Buc. IX 39; post quintam autem vocem positum est *namque* Buc. I 14.

[4]) Horatius particulam *nam* secundo loco collocavit in Epodis bis, in Satiris quater, in Epistulis semel, in Carminibus semel;

Iam pronomina in his versibus traiecta sunt:

in secunda sede: *quod* c. I 4. VIII 6; *quas* c. IV 2; *cui* c. II* 20; *hic* c. III 3;
in tertia sede: *qui* c. IV 4; *quis* c. IV 8.

Hanc sermonis consuetudinem ne a ceteris quidem vatis Mantuani poematis alienam esse his exemplis confirmatur:[1])

Buc. III 86 sq.:

pascite taurum,
iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.

Georg. III 387 sq.:

illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
nigra subest udo tantum cui lingua palato.

Aen. VI 791 sq.:

hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, divi genus, aurea condet
saecula qui rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam.

Iam deinceps cum quaeratur, quae elocutionis ornamenta communia sint libello Catalepton cum carminibus Catullianis, primum illud commemorem, quod poeta Veronensis in usum vocavit carmine 25 *Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo,* ut effeminatum Thalli habitum castigaret, et multis versibus carminis 57, ut Caesaris Mamurraeque mollitiem aptissime depingeret, et carmine 99 *Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuventi,* quibus versibus flebiles querelas effudit, quod Iuventius puer amatus amori non respondeat: dico labdacismum qui vocatur. Hic orationis ornatus Vergilio adulescenti ita placuit, ut eum adhiberet Catalepton c. II* et III*, in quibus praeterea complura nomina deminutiva exstare supra intelleximus. Adferre satis habeo hosce versus:

particulam *nec* traiecit in Epodis quater, in Epistulis semel, in Carminibus quinquies; vide Nordenum l. c. p. 394 sq. et Kuehnerum l. c. vol. II p. 714 sq.

[1]) vide quae exposuit Nordenus l. c. p. 317 ad Aen. VI 792 sq.

c. II* 3 agellulum hunc, sinistra et ante quem vides,
erique villulam hortulumque pauperis,
9 mihi caduca duro oliva frigore.
meis capella delicata pascuis
in urbem adulta lacte portat ubera;
19 Velim pol! inquis; at pol ecce vilicus
venit, valente cui revulsa bracchio
fit ista mentula apta clava dexterae.
c. III* 1 Hunc ego, ⟨o⟩ iuvenes, locum villulamque palustrem,
10 florido mihi ponitur picta vere corolla.
12 lutea violae mihi lacteumque papaver
pallentesque cucurbitae et suave olentia mala.

Sed pergamus ad adlitterationem quam vocare solemus. Quod dictionis ornamentum quamquam poetae neoterici plerumque aspernati sunt hac in re discrepantes a Q. Ennio ceterisque poetis veteribus[1]), attamen Catullus haud semel dedita opera adhibuit, velut c. 7,2:

tuae, Lesbia, sint satis superque

vel c. 14,10:

non est mi male, sed bene ac beate

vel c. 25,10:

ne laneum latusculum manusque mollicellas.

A vate Mantuano adlitteratio ut artificium forte et sermonis epici altitudini aptissimum in Aeneide toties adhibita est, ut in tribus fere omnium versuum partibus inveniatur.[2]) Neque ab hoc diversus est dicendi usus in iis carminibus, de quibus iam disputamus. Etenim adlitteratio occurrit hisce locis:

c. II* 6 picta vere ponitur,
19 at pol ecce vilicus
venit, valente cui revulsa bracchio.

[1]) vide Nordenum l. c. p. 407 sq.

[2]) de adlitteratione adcurate disputavit Iohannes Kvičala, *Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis,* Pragae a. 1881 p. 293 sq. et 386.

c. III* 5 huius nam **d**omini colunt me **d**eumque salutant,
6 **pa**uperis tuguri **pa**ter,
10 **p**onitur **p**icta vere corolla,
12 **l**uteae violae mihi **l**acteumque **papa**ver
pallentesque cucurbitae et suave olentia mala
uva **pamp**inea rubens,
16 hir**c**ulus **c**ornipesque **c**apella,
21 inde **s**umite, **s**emita haec.
c. II 1 Corin**t**hiorum ama**t**or is**t**e verborum,
is**t**e is**t**e rhe**t**or, † iamque qua**t**emus **t**o**t**us
Thucydides, **t**yrannus A**tt**icae febris:
tau Gallicum, min e**t** sphin u**t** male illisi**t**,
i**t**a omnia is**t**a verba miscui**t** fra**t**ri.[1])
c. III 6 (**c**etera namque viri **c**uspide **c**on**c**iderant),
cum subito in medio rerum **c**ertamine prae**c**eps
corruit, e **p**atria **p**ulsus in exilium.[2])
c. IV 1 **v**ariae nos tempora **v**itae,
10 **C**lio nam **c**erte **c**andida nunc loquitur.
c. V 9 magni pe**t**en**t**es **docta dicta** Sironis[3]),
10 **v**itamque ab omni **v**indicabimus cura.
c. VI 3 **t**uone nunc puella **t**alis et **t**uo.
c. VII 1 Vari **d**ulcissime, **d**icam:
disperam nisi me per**d**i**d**it iste putus.
c. X 9 **bid**ente **d**icit atto**d**isse,
10 **co**mata **co**lla[4]),
22 **p**aterna lora **p**roximumque **p**ectinem,
24 **se**detque **se**de **se**que dedicat tibi.

---

[1]) hanc crebram litterae ***t*** repetitionem poeta consulto admisisse videtur propterea, quod v. 4 illud *tau Gallicum* commemorat.

[2]) simillime canit Vergilius Aen. VIII 333:
me **p**ulsum **p**atria **p**elagique extrema sequentem.

[3]) in hoc versu cum adlitteratione coniunctum est *ὁμοιοτέλευτον*.

[4]) similis adlitterationis forma invenitur apud Catullum (c. 10,23):
in **collo** sibi **collo**care posset.

c. XII 2 **p**uella quam **p**etis.
7 **d**ucit, ut **d**ecet.

Proximum est, ut explanemus exempla similis figurae, quae *ἀναφορά* vel repetitio nominatur. Hanc Catullum in deliciis habuisse exempli gratia ex his paucis versibus cognoscitur: c. 4,16 sq.:

tuo stetisse dicit in cacumine,
tuo imbuisse palmulas in aequore

et c. 8,16 sq.:

quis nunc te adibit? cui videberis bella?
quem nunc amabis? cuius esse diceris?
quem basiabis? cui labella mordebis?

Catullum ceterosque illius temporis poetas aemulatus Maro repetitionem in usum vertit his opusculi Catalepton locis:

c. II* 6 mihi corolla picta vere ponitur,
mihi rubens arista sole fervido,
mihi virente dulcis uva pampino
mihi caduca duro oliva frigore.
10 meis capella delicata pascuis,
12 meisque pinguis agnus ex ovilibus.
c. III* 7 alter assidua colens diligentia, ut herbae,
9 alter parva manu ferens semper munera larga.
c. I 1 De qua saepe tibi, venit. sed, Tucca, videre
non licet: occulitur limine clausa viri.
de qua saepe tibi, non venit adhuc mihi; namque
si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.
c. III 3 terrarum hic bello magnum concusserat orbem,
hic reges Asiae fregerat, hic populos,
hic grave servitium
5 tibi iam, tibi, Roma, ferebat.
9 tale deae numen, tali mortalia nutu.
c. IV 1 Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
tangere quas terras quosque videre homines.

c. IV 5 divi divumque sorores.
6 cuncta neque indigno, Musa, dedere bona,
cuncta, quibus gaudet Phoebi chorus ipseque Phoebus.
8 doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
o quis te in terris loquitur iucundior uno?
c. V 1 Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae,
5 ite hinc, inane cymbalon iuventutis,
11 ite hinc, camenae; vos quoque ite iam saue.
6 o mearum cura, Sexte, curarum,
vale, Sabine; iam valete, formosi.
12 dulces camenae (nam fatebimur verum,
dulces fuistis).
c. VI 3 tuone nunc puella talis et tuo.
c. VIII 6 Mantua quod fuerat quodque Cremona prius.
c. X 6 et hoc negat Tryphonis aemuli domum
negare nobilem insulamve Caeruli.
15 tua stetisse ⟨dicit⟩ in voragine,
tua in palude deposisse sarcinas.
25 gemelle Castor et gemelle Castoris.
c. XII 5 duas habere filias Atilium,
⟨duas⟩, et hanc et alteram, tibi dari?
7 adeste nunc, adeste.

Huc addamus epiphorae exemplum, quod occurrit in c. VII 2. 4:

dispeream, nisi me perdidit iste putus.
non dicam, sed me perdidit iste puer,

quibus cum versibus in comparationem vocare licet hos Catullianos (c. 92, 2. 4):

. . . Lesbia me dispeream nisi amat,
. . . . verum dispeream nisi amo.

Restat alia loquendi consuetudo, quam Vergilius a Catullo mutuatus esse videtur. Poeta enim Veronensis versus vel versuum partes variosque sermonis flosculos

aut in eodem carmine iterare atque frequentare aut ea, quae dixit in altero, recipere in alterum solitus est.[1]) Quae res ut aperta fiat, exempla quaedam petita e Catulliano libro adponam. Qui est carminis 57 versus primus:

Pulcre convenit improbis cinaedis,

eundem poeta scripsit eiusdem carminis extremum. Quod idem valet in brevissimum carmen 52 *Quid est, Catulle? quid moraris emori?* Porro c. 29, 2:

nisi impudicus et vorax et aleo

totus fere iteratus est v. 10:

es impudicus et vorax et aleo.

Iam vero saepissime Catullus eadem verba in diversis poematis bis posuit eo consilio plerumque ductus, ut memoriam prioris carminis repeteret, quod his exemplis demonstrem:

c. 6, 15 quare quidquid habes boni malique
c. 15, 10 infesto pueris bonis malisque,
c. 12, 17 ut Veraniolum meum et Fabullum
c. 47, 3 vos Veraniolo meo et Fabullo,
c. 15, 14 quodsi te mala mens furorque vecors
c. 40, 1 Quaenam te mala mens, miselle Ravide.

Sed nolumus exempla cumulare. Hoc dicendi more usum Vergilium composuisse Catalepton c. XII facile cognoscet, qui sibi ante oculos posuerit versus hos:

1 Superbe Noctuine, putidum caput,
datur tibi puella, quam petis, datur;
datur, superbe Noctuine, quam petis.
sed, o superbe Noctuine, non vides . . .
6 ⟨duas⟩, et hanc et alteram, tibi dari?
adeste nunc, adeste: ducit, ut decet,
superbus ecce Noctuinus hirneam.

---

[1]) de hac re quaestionem subtilem instituit Iohannes Vahlen, Opusc. acad. vol. II p. 215 sqq.

Atque semel poeta transtulit orationis flosculum ex altero carmine in alterum. Verba enim haec (c. XII 1):

Superbe Noctuine, putidum caput

simillime reperiuntur etiam c. VI 2:

generque Noctuine, putidum caput.

Ut hoc extremum commemorem, Catalepton carmina II* et III*, quorum utrumque e vicenis singulis versibus constare et idem argumentum variare supra vidimus, inter se congruunt etiam in locutionibus et verbis, id quod luculenter docent hi versus inter se conlati: c. II* 2 sqq.:

ego arida, ⟨o⟩ viator, ecce populus
agellulum hunc, sinistra et ante quem vides,
erique villulam hortulumque pauperis

cum c. III*

1 Hunc ego, ⟨o⟩ iuvenes, locum villulamque palustrem
3 quercus arida rustica formitata securi,
6 pauperis tuguri pater filiusque adulescens,

et c. II* 6 sqq.:

mihi corolla picta vere ponitur,
mihi rubens arista sole fervido,
mihi virente dulcis uva pampino

cum c. III*

10 florido mihi ponitur picta vere corolla,
primitus tenera virens spica mollis arista,
14 uva pampinea rubens educata sub umbra.

Vita.

Natus sum Robertus Paulus Sommer Dessaviae Anhaltinorum die XIV mensis Martii anni 1885 patre Roberto, matre Hilda e gente Hetzel. Patrem carissimum duobus ipsis mensibus, priusquam examen rigorosum habitum est, acerbissimo fato mihi abreptum esse valde lugeo; matrem superstitem esse summo gaudio mihi est. Fidei addictus sum evangelicae. Postquam urbis patriae gymnasium, quod nominatur Fridericianum, per novem annos frequentavi, maturitatis testimonium adeptus vere anni 1903 civis adscriptus sum academiae, quae est Friburgi Brisgavorum, ut studiis philologicis et germanicis operam darem. Ibi per ter senos menses moratus autumno anni 1904 migravi Berolinum atque sex mensibus post Marpurgum. Inde ab autumno anni 1905 in academia Halensi studia mea continuavi.

Docuerunt me viri doctissimi:

Friburgenses: Baumgarten, Fabricius, Finke, Hense, Kluge, Lommatzsch (nunc Monacensis), Panzer (nunc Francofurtensis), Rickert, B. Schmidt, Steup, Thurneysen, Uebinger, Wolf.

Berolinenses: Frey, Hirschfeld, E. Schmidt, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff.

Marpurgenses: Birt, Elster, Justi †, Kalbfleisch, Maass, Natorp, de Sybel, Thiele, Vogt, Wrede.

Halenses: Blass †, Busse †, Consbruch (nunc Isenacensis), Dittenberger †, Ebbinghaus †, Fries, Geissler, Ihm †, Robert, Saran, Schultze, Schwarz (nunc Marpurgensis), Strauch, Vaihinger, Wissowa, Wuest (nunc Kiloniensis).

Sodalis fui per senos menses proseminarii philologici Marpurgensis Kalbfleischio moderante, Halensis Blassio regente. Deinde viri clarissimi Wissowa et Blass benevolenter me receperunt in seminarii philologici secundam et paulo post in primam classem, quarum exercitationibus per bis senos menses interfui. Praeterea benigne me admiserunt ad exercitationes archaeologicas Robert, palaeographicas Ihm, germanicas Elster, Wrede, Saran, philosophas Schwarz, paedagogicas Fries, rhetoricas Geissler.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis gratias ago quam maximas gratumque animum semper servabo, praecipue Georgio Wissowa, benevolentissimo studiorum meorum fautori, quo auctore hanc dissertationem composui quique in ea componenda auxilio et consilio identidem me adiuvit.